AETIOLOGIA ROBERTI VVATSONI

Angli, in qua explicatur, quare deprehensus annum vnum & menses penè quatuor, propter Euangeliū incarceratus fuit: quęnā inter ipsū & eius Antagonistas in carcere habita fuit disceptatio, de Transubstantiatione & reali Christi præsentia in Sacramento: & quo pacto corpore incolumi & illibata conscientia tandem expediuit eum Dominus.

Papistæ, sex ipsorum argumentis retroflexis confutantur de Transubstantiatione & crassa eorum reali Christi præsentia in Sacramento.

Papistæ, se iactantes esse catholicam Christi ecclesiam, septē argumentis ex authoritatibus sanctorum patrum per se adductis, in eos retortis, probantur esse Synagoga Satanæ.

Conuincitur, Papistas non habere Christum in Missa sua neq, corporaliter neq, spiritualiter præsentem, ad salutem.

Anno. M.D.LVI.



Omnibus syncerè

Christum profitentibus vbiq; terrarũ dispersis: ac præcipuè fratribus meis et cõterraneis Anglis, qui pro Christi cõscientia à natiua terra sua exulantes eandem mecum propter Euangelium perpessi sunt adflictionem, Robertus watsonus.

S. P. D.

QVVM omnes syncerè Christum ꝓfitentes, spiritu eius sancto regenerati, in corpore eius mystico ipsius spiritus communione, commissuris ità sunt compacti in Christo, vicissim erga se affecti: vt si patitur vnum membrum, patiuntur omnia membra, 1. Cor. 12. siue gaudet vnũ membrũ, simul gaudent & omnia membra. Vnde fit, ꝙ sicut memores sunt eorum qui propter conscientiam Christi præter meritum sufferunt molestias, non secus atq; ipsi in corpore adhuc versantur eisdẽ ob-

noxio ęrumnis:ita mihi persuasum habeo,eos fratrum suorum bonis,perinde lætari,acsi ipsi essent eisdem potiti. Idcircò,cum tantum opis ac roboris mihi fuerit diuinitus collatum, vt nūc sęuiente Antichristo in Anglia omnium syncerè Christū profitentium excidium moliente, propter Euangelicæ veritatis confessionem,in carcerem detrusus annū vnū & menses penè quatuor vinctus fuerim: ac tandē Dei benignitate,corpore incolumi & illibata cō scientia (quod raro obtingit) sum expeditus. Nisi coram tribunali Christi ingratitudinis reus pagerer: fratribus meis in Domino, non possum nō annunciare, quantum mihi fecit Dominus & misertus est mei. Tobiæ enim & filio eius,sic præcepit Angelus Domini. *Deum celebrate (inquit) ipsiq; gratulamini,magnificè prædicate eum, & corā viuis omnibus quæ vobis præstitit fatemini. Præclara res est prædicare Dominum & nomen eius extollere. Et rursum ait, Arcana Regis cœlasse pulchrum est: contra vero, opera Dei palam facere honorificum.*

Tobi,12.

Idcirco & ego, meam ex ipsius Antichristi faucibus ereptionẽ, fratribus meis patefacere operę preciũ arbitratus sum: vt sicut Deum iugiter precati sunt, q̃ infirmitates nostras curet & fidem nobis adaugeat, quo æternam eius veritatem, audacter & intrepidè contra hostes suos confiteamur, & in adflictionibus propter eam constanter obduremus, ac iuxta eius benignitatem nos ab eis liberet (quorum precum virtute, meas infirmitates potius curatas, fidemq; meam magis adauctã, meq; citius liberatum sentio:) ita nunc ipsi Deo, qui mortalium precibus se exorabilem præbet, gratias agant.

Superest nunc vt in tempestate hac ęrumnosissima, nobis potissimum Anglis qui propter conscientiã Christi, à natiua terra nostra exulam⁹, & in alienis regionibus sparsim dissipamur extorres, mutuo nos verbo veritatis cõsolemur: certi, q̃ nos Deo grati nunc adfligimur, & quasi triticum cribramur, ne cum mundo (qui omni tempori & mutationi, prudẽtissimè quidem

dem in generatione sua, se conformare queat, vt à cruce Christi & adflictione Euangelij tutus & securus euadat) condemnemur. Et quálibet nunc petulantiam & feritatem experimur Antichristianorũ, qui Deũ sibi iam dormire putãt, in corde suo dicẽtes (quod actus eorum luculenter indicant). *Obli-*
Psal. 10. *titus est Deus, auertit oculos suos ne vnquam videat:* nobis tamen qui verè Israel sumus.
Psal. 121. *Non dormiscet neq; dormiet custos noster.*

Sed tametsi plerunq; p interualla aliquot, ita hostes suos ad castigationem & trutinam electorum suorum pro sua longanimitate & tolerantia, debaccari & grassari sinit, vt nunc in Anglia erga omnes syncerè Christum profitentes violentissimé tyrannidem exercẽt, perinde atq; planè dormisset: adeò vt nos cum Dauide sepenumeris dicere cogimur: *Euigila, quare obdormis*
Psal. 44. *Domine? Euigila, ne depellas perpetuo. Quare abscondis faciem tuam, cur adflictionis nostræ & oppressionis nostræ obliuisceris.* Tamẽ si iugibus & assiduis precibus illũ excitauerimus; haud dubiè

cum

cum idoneum tempus nactus fuerit, exurget, & velut strenuissimus heros, exerta manu in æstu nasi sui, hostes suos increpabit, & eos è ceruicibus nostris propellet.

Interea autem, ne animum despondeamus, nec supra modum angamur, *perindè quasi nouum aliquid nobis obtigerit: imò ꝙ consortes simus adflictionum Christi gaudeamus, vt in reuelatione quoq; gloriæ eius gaudeamus exultantes. Siquidem iustum est apud Deum, reddere his qui adfligunt nos adflictionem: nobis autem qui adfligimur, relaxationem.* Nihil enim nouæ calamitatis experimur, quod sancti prophetæ omnes nō sunt experti: nihil perpessi sumꝰ, quod seruator noster Iesus Cstristus cœli & terræ Dominus, nobis obuenturum non prædixit, vt cum euenerint, minus nos angant vel excrutient. Imò consideremus, nos nondum usq; ad sanguinem, aduersus peccatum, satanam, et ministrum eius Antichristum restitisse, sicut Ghristus seruator noster nobis exemplar præbuit: & sicut Prophetæ & Apostoli, & sancti Martyres innume-

1. Pet. 4.

2. Thes. 1.

ri: necnon fratres noſtri iam & conterranei complures, quorũ bona pars præter eorum pietatem, haud vulgariter erãt eruditi: mortem oppetere præſtantius ducebant (quam patienter, Deo gratia, ſuſtinuerunt: quorum animas haud dubito, nunc in cœlis cum Chriſto ſeruatore noſtro, cuius æternæ veritatis fideles martyres, ope diuina ſuſtulti in terris ſe præbuere, æterno frui ſolatio) quàm Chriſtianam eorũ conſcientiam, Antichriſti adinuentionibus conſpurcare vel fœdare. Quod equidem ſpero, noſtrum plures facturos fuiſſe, diuino innixi auxilio: ſi ſic incubuiſſet neceſſitas. Sed quum Deus (illi gratiæ immortales) nobis rimam effugiendi patefecerit: præſtabat, mortem ſana conſcientia defugere, quàm temerè vel anima vel corpore periclitari. Faxit Deus, vt nos qui aufugim⁹, illi placere ſtudeamus: & infracto animo, hanc quam pro Chriſto ſeruatore noſtro adflictionem perpetimur, feramus.

Scientes igitur, ꝙ adflictio noſtra patientiam pariat, patientia autẽ probatio

bationem, quæ ſpem æternæ hæreditatis nobis generat, ac de æterna Dei erga nos dilectione & clementia perſuaſos reddit: viciſſim nos conſolemur mirifica hac & præcellenti gratia ac fortitudine nobis cœlitus collata (quæ filiorũ huius ſæculi, vt vt in generatione ſua prudentes ſunt, intellectum lõgè ſuperat) qua æſtum hunc adflictionis cõſtanter obduram⁹: quò fides noſtra veluti per ignem explorata, auro puto puro redditur precioſior, tandemq; reperietur, in laudem, gloriam et honorem.

Idcirco, quantumuis vt ait Dauid, *In inſolentia impij ardet adflictus:* ne ſimus tamen cõſternati, neq; formidine correpti: ſed eò frequẽtius et ſedulius precemur, quò Antichriſti feritas in nos ſęuius æſtuat. Certi, q, *Oratio adflicti nubes penetrat, non conquieſcit neq, deſiſtit, donec peruenerit ad altiſſimum: qui agat curam eius, iuſtè iudicet, iudiciumq, exerceat.* Pſal, 10. Eccli. 5.

Perferamus igitur pauliſper Antichriſtos pro eorum inſolentia et veſania contra Chriſtum ſeruatorem noſtrum

ſtrum, vt nos ad tempus, ludibrio et ſcommati exponant, & quaſi hæreticos in vltimas terras explodant: ſcimꝰ enim q̄, qui in cœlis ſedet (cuius æternæ veritatis cauſa, has experimur adflictiones) eos ridet et ſubſannat. Qui nobis, quos pro ſua benignitate, veluti uaſa miſericordiæ eius dignatus eſt in huiuſmodi adflictionibus corroborare: redditurus eſt pacem et immarceſſibilem gloriæ coronam. *Tum iuſtus corã oppreſſoribus ſuis, laborumq; ipſius vituperatoribus, multa cum audacia ſtabit: quo illi viſo graui pauore percellentur, & præ inopinata ſalute ſtupeſcent.* Pœniten-*tia tacti & præ anguſtia ſpiritus gementes, ſic apud ſe dicent. Hic eſt ille quem riſui quondã habuimus, prouerbioq; contumelioſo. Stulti, vitam eius exiſtimabamus inſaniam, & exitum eiuſdem ignominioſum. Itane vnà cum filijs* Dei *annumeratus eſt, & ſuam inter ſanctos ſortem adeptus? Aberrauimus vtiq; a via veritatis, lumen iuſticiæ non fulſit nobis, nec intelligentiæ ſol eſt exortus. Itineribus iniuſtitiæ & interitus affatim vſi ſumus: peruaſimus inuia deſerta, viam verò Domini*

Sapi. 5.

ignora-

ignorauimus. Quid profuit nobis superbia? & diuitiæ fastosæ quid nobis contulerunt? Tanquàm vmb ra nunciusq; transcurrens illa præterierunt omnia. Et post pauca. Atq; talia peccatores apud inferos dixerint.

Nunc Ætiologiam meam quanto possum compendio perstringam, hoc potissimum consilio, vt ex ea perspiciant omnes syncerè Christũ profitentes (quos scio, à *P*apistico fermento animos habere defecatos) quàm mirificè Sophistes, ipsius Satanæ primogenita persona in se sumpta quasi sit pedissequa iustitiæ, peruersé sit imitata prudẽtiam. In qua ætiologia, ex argumentis & dissolutionibus, quæ inter me et antagonistas aliquot, vltro citroq; cõtexta & expedita sunt: facilè dijudicabũt, cuius partes tuebatur veritas.

Valete in Christo, qui (vnicè) factus est nobis sapientia à Deo, iustitiaq; et sanctificatio & redemptio.

Scripsi primo Nouembris Anno. 1555.

AETIOLOGIA Roberti Vuatsoni.

Psal. 119. *Pudefiant superbi, qui mendatio me opprimere quærunt, quum ego de constitutionibus tuis disseram.*

Redeant ad me qui te timent, quiq; norunt obtestationes tuas.

SIMVL atq; vigore statuti, quod in primis comitijs in Anglia postquàm Maria nunc illius Regina regnũ auspicata est, stabilitum fuit, Ecclesiastico beneficio fuerim abdicatus: oriundus à Norwico, eò me contuli. Vbi non prius sex dies peregi, quàm coram vrbis præfecto fuerim accersitus: qui me percontatus est, cuius rei causá, missæ non interfuerim die Dominica vltimò tum peracta. Respondi, quum tẽpore matutinarum vt vocant, precum mearum pro tempore sategerim: nihil mihi incubuit

cubuit, quod me diutius in templo remoretur.

Ille autẽ mordicus instabat simulq; vrgebat, dicẽs, plures mihi fuisse infensos, q̃ à missa audienda me subduxerim. Et ego diutius dissimulare nequiẽs, dixi, me non posse Missæ interesse, illam approbãdo, nisi eius impietatis particeps essem: & eo grauiori scelleri me obnoxium fore putabam, quò conscientia mea verbo Dei instructa, ei tantoperè renitebatur. Deinde asseuerabam, Missam Papisticam quatrifariam esse reprehensibilem & in vltimas terras explodendam, vt planè impiam.

Primò propter linguam peregrinã, cuius multitudo plebeia quæ conuenit vt ædificetur, est penitus ignara. 1

Secundò, q̃ panis & vinum in missa colitur vt Deus. 2

Tertiò, quia Sacramentũ sumitur priuatim à solo sacerdote, & non cõmunicatur fidelibus. 3

Quartò, propter sacrilegiũ quod patratur, subtrahendo alteram speciem Sacramenti à laicis. 4

Deinde

5 Deindè adieci, q; impia Papiſtarum aſſertio, Miſſam eſſe ſacrificium propitiatorium pro peccatis viuorum & mortuorum, ſit inſignis blaſphemia morti Chriſti, Qui vnica hoſtia ſemel pacta perfectos effecit in perpetuum eos qui ſanctificantur.

Huius rei gratia, ita in carcerem detruſus ſum, vt nemini patuit ad me acceſſus: Deinde poſt menſem, Norwico miſſus ſum cum dictis articulis meis Londinum, coram regio concilio ſiſti.

Cum autem coram comparuerim, vbi plures regni proceres conſidebant: D. Gardynerus adulterinus wintonienſis Epiſcopus, vt Angliæ Cancellarius præſidebat omnibus. Et quum ego (vt par erat) genu procubuerim, *D*eum immortalem, quam leonicè geſtiebat ille Gardynerus? quám erexit criſtas? deficit me planè eloquẽdi copia, vt eiꝰ ergà me geſta & verba, vt in veritate res habuit, exprimerem: ſed vtrumq; dicam, vt ſuppetit facultas.

Non referebat Areopagitam Athenienſem, ſed planè Herodem: ita erat non ad ſeueritatem, ſed ad veſaniam

&

& feritatem totus compositus. Corrugata fronte, vultu maximè toruo & truculentissimo, oculi eius in me collimati, videbantur mihi eiaculari ignem: nec sermo eius erat ipsius feritati absimilis, sed vt in omnibus seruaret decorum, verba eius tanta erant acrimonia & quasi aculeata, tamq; vesaniter præcipitata: vt nihil penitus mihi præsagiebam futurum præter mortem. Sæpè tamen dum per interualla aliquantisper quieuit procella, pro me ipso respõdere tentaui, sed frustra: nam ille nihil præter hæreticum me nuncupans, neutiquam voluit mihi acclinare aurem. Dixi, Domine mi, spero dominationem tuã, nolle me hæreticum nuncupare, nisi me sustinere uelit, rationẽ fidei meę reddere: sed nihil profuit: nõ fuit oleum in lecytho. Prælegebat articulos meos, sed non vt se habebant: vnum enim ex industria prę-teruolabat, nempè hoc, Quòd assertio Papistarũ, videlicet, Missã esse sacrificiũ propitiatorium pro peccatis viuorum & mortuorum, est insignis blasphemia morti Christi, qui vnica hostia semel

mel peracta , perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Opinabar illum pudere illius, & proinde nolle vt apud regni proceres innotesceret, papistas tam impias blasphemias adfirmare. Extraxi libellũ collectaneorum è sinu meo, sententias diuersorũ orthodoxorũ patrum cõplectentem: vt etiam si me loqui sustinere noluerit, saltem aliquantulũ legentẽ auscultaret. Sed ecce Papistarum fructus & ęquitas. Ita ferebat tempus, & talis tum præsidebat regio concilio, vt libellum quoq; mihi è manibus abripuit, nec vnum quidem verbum me legere permisit: nec tamen furere, et me hęreticum nuncupare destitit. Vt adfirmare audeo, si coram Turcarũ imperatore sisterer, ęquiore et modestiore animo, me respondentem auscultaret. Iussus fui aliquantisper secedere, et intercapedine octauæ partis horæ vt suspicor, interiecta, reuocatus : reperi illum multo mitiorẽ, et alacriore vultu, aliquantò ad affabilitatem compositũ. Verisimile fuit regni proceres illum vesanię suæ et intẽperantiæ admonuisse

isse, & ad animum æquiorem composuisse. Denuò vt decebat procubui: sciscitatus est me, an erroribus meis (vt ipsi dicere libuit) valedicere vellē, & canere palinodiam. Respondi, oportere me prius audiri, & hæreseos cōuinci, quàm palinodiam canerem: & addidi, me nihil astruxisse quod non potui (annuente Christo) per scripturas & sanctorum Patrum vetustissimorum scripta, satis luculenter asserere, si facta fuisset mihi loquendi copia. Tum aliquot regni proceres, vela me vertere suadebant, sed ope diuina suffultus renitebar. Tandem Gardenerus ferebat sententiam, me ad præfectum vrbis Norwicensis remittendū, qui me Cancellario episcopi Norwiceñ, tutò custodiendum committeret: cum huiusmodi mandatis, nempe vt in carcerem interiorem detruderer, & nemini daretur me alloquendi copia. Et datis literis eiusmodi sententiam comprehendentibus, demissus sum.

In summa iuxta literarum tenorē in carcerem interiorē in Episcopi palatio, Norwici coniectus sum: sub cu-

ſtode tamen (ita fortunante *Deo*) humano certè & benigno: qui tam anxiè tamen iniunctum ſibi mandatum ſeruauit, vt neminē, neq; p ſermonē neq; p epiſtolā me alloqui permiſit.

Ex his nunc perſpicuum eſt, vobis ſyncerè Chriſtum profitentibus, qui à virulentiſſimo papiſtico fermento animis fruimini expurgatis: et idcircò emunctæ naris eſtis, et æqui iudicij cōpotes. Quibus cōpertum habeo, rem publicam Chriſtianā adeò cordi eſſe, et eius labefactationis, proſciſionis & diſſipationis ſenſu adeò vehementer afficimini, vt dies atq; noctes, vicem eius corde defletis, atq; reparationē eius ſuſpirijs ex imo cordis deductis, indies anhelatis: vobis dico, vobis qui oculos intuendi habetis, vobis conſpicuū eſt, quàm miſerè agitur in repub. quum propter peccata populi, Deus ſinit regnare hypocritam.

Cæterum vt eò vnde huc declinauit mea oratio, ſe nunc referat. Annum vnum prius vinctus fui, quam quiſquā me aggreſſus eſt. Peracto autem anno, recogitans me fidei meę tam grauiter

im-

impetitum, & iam annum vnum carceres perpessum, illosq; quorum intererat tam esse oblitos sui vel muneris sibi diuinitus concrediti negligentes: vt ne semel quidem in ãno, vel vno aditu, vel colloquio, vel disputatione me dignati sunt. Tædium mihi vehementer obrepsit non expers doloris: q̃ illi quibus competebat animarum cura, tanta incuria traditam sibi a Deo prouintiam præterirent. *D*ixi custodi meo: *Æ*quidem demiror, q̃ Cancellarius Episcopi, nec per se nec per alium in toto hoc anno me alloqui velit: obsecro, vt eum mei causa adire digneris, & meo nomine obtestari, vt mihi vel vnam epistolam, veteri amico meo Doctori Barœto, hic in vrbe degenti, scribendi facultatem cõcedat: nihil me scripturum sciat, quod sibi non prius innotescat, quàm amico meo donetur. Custos meus vt fuit comis & vrban⁹, meo nomine Cancellarium aggressus, voti mei me compotem fecit. Adepta nũc scribẽdi copia, literas scripsi, quarum penes me reseruatum exemplar hic subijcio.

Doctori Barœto gratia à Deo patre, et à Domino Iesu Christo, ea cōscientiæ simplicitas, quæ Euāgelij synceritatem sapiat.

NOndū tibi excidisse reor, vir spectate, quib⁹ de rebus sabbato sancto (facta tibi me adeūdi copia) colloquium miscebamus. Ego, ipso eodem die, colloquij nostri summam custodi meo referēs, quod verum erat fatebar: nullum nempe inter nos fore dissidium, sed de omnibus bene conuenire. Vno duntaxat excepto, Quòd scilicet tu, missam celebrare non defugeris, cui ego interesse non audebam. Concisis aliquot rationibus tecum egi, & conscientiæ meę rationem qua potui celeritate expediui: quibus, cum tu tuaptè sponte annuisti, adeò nihil inter nos erat controuersum, vt mihi sacramentum citra Missam in cubiculo exhibere, ad horam ipso eodem die præstitutam, te recepisti. Quod vtiq; fecisses, nisi qui tum erat Cancellarius id vetuisset. Vnde te testē voco, an tum hæreticus extiterim: nam si ita essem, tam abfuisset te velle mihi Sacracramentū

præ-

11

præbuiſſe, vt potius à me abhorruiſſes. Sermo noſter qualis erat, impræſentiarum non attingam: ſed ſi te alloquendi copia mihi aliquãdo obtigerit, & aliqua inde particula tibi exciderit, ego illius memoriam tibi refricabo: nunc præſens inſtitutũ quanto poſſum cõpendio expediam. Cum retuliſſet tibi cuſtos meus, me ſibi adfirmaſſe nihil inter nos controuerti, ſed vtriuſq; noſtri iudicium de Sacramento, in vnam atq; eandem ſentẽtiam recidiſſe (præter id quod ſupra attigi:) vehementer ſe mirari dixit, me tãtopere à Miſſa abhorrere, quum tu à meo iudicio de Sacramento nihil diſſidiſſes, & tamen Miſſam celebrare non refugeris (Et meritò quidem ſe admirari dixit, quũ tanta fuerit colloquij noſtri ſymphonia: & actus noſtri tam diſpares) ait te conſcientiam tuam appellaſſe: quam, te Miſſam celebrando aiebas non repræhendere. Inſtabam interrogando, an inter nos de Sacramento colloquẽtes bene conuenire, velles ire inficias? Reſpondit, te nec inficiari nec ingenuè fateri: ſed dixiſſe, te delectari me

reperisse tam conformem. Qua in re te prudentiorem cerno, me & ceteris mei similibus: qui tam versute versari queas, q; vtcunq; vergit mundus, tu à cruce immunis euadas incolumis. Et est quidem hæc suo genere prudentia: sed à syncetitate quæ Euãgeliũ deceat, procul remota. Ego & mei similes inepti, vnicam fidem, vnicam conscientiam habentes, vnum solum ac verum Deum, et quem misit Iesum Christũ, atq; vnicam Euangelij eius veritatem profitentes, multiformi cõscientia destituti, fidem nostram ingenue fatemur interrogati, nec dissimulam⁹: veriti ne nobis obueniat quod ait Christus.

Luc.9. *Quęcunq; puduerit mei ac meorũ sermonũ, pudebit illius & filiũ hoīs, quũ venerit in gloria patris sui cũ Angelis suis.*

Math.10. Rursus, *Qui inuenerit animam suam perditurus est eam.* Idcirco Christi gloriam & Euangelij eius veritatem, hominũ inuentionibus anteponentes: scientes ore confessionem, non minus requiri

Rom.10. ad salutem, quam cordis fiduciam, vt ait Paulus, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem:* q.q;

nullo

nullo fuco oculos Dei queamus fallere, nec legem eius ludificare impunè: bonitate eius freti, qui sibi fidentes nō deserit, veritatem eius intrepidè fatemur, certi q̄, *qui animam suam eius causa perdiderit, inueniet eam.* Math.10.

Proinde quum sciam nullam cōscientiam valere apud Deum, nec impauidè thronum gratiæ adire, vt misericordiam consequatur, et gratiam inueniat ad oportunum auxilium: nisi dūtaxat ea, quę ad amussim verbi eius formata sit: studui mihi talem (spiritus sancti ductu atq; auspicijs) comparare conscientiam, qua possum audacter in Christo seruatore meo, thronum gratiæ adire, vnde mihi gratiam et opem affatim suppeditatam expertus sum. Cur hac in re veritatem fateri (quū hoc nihil sit aliud quàm in Deo gloriari) pudefierem. *Siquidem, Arcana regis cælasse pulchrum est: contra vero, opera Dei palàm facere honorificum.* Tobi.12.

Porrò quum ita sit diuinitus constitutum, vt vera fides suam trutinam experiatur et examen, legitimè certet, perferat et obduret: alioqui haudqua-

quàm coronabitur: deinde nobis pro Christo donatum sit, non solum vt in eum credamus, verum etiá vt pro illo patiamur. Ineffabili haud dubiè gaudio perfundimur, q tantum diuinitus nobis suppetat roboris, vt valeamus consistere, nec sub verbi crucis onere

Iesa.40. deficere. Quid multa? *Ipse dat lasso virtutem, & ei quem vires deficiunt robur abundè suppeditat.*

Cæterum (vt quod orsus sum pertexam, et eò vnde declinauit mea oratio tandem se reflectat) quamlibet viginti his annis conscientiá tuam quoad transub. expertus sum, atq; etiãnũ postea quàm carceres sum perpessus; si nũc tandem eam adeptus sis doctrinam, quæ te tantisper hallucinatum (non renitente conscientia) fateri coegit: tibi nunc tandem ex omnibus anfractis extricato, & ad veritatis tramitem reducto, congratulor quidẽ: (præstat enim tergiuersari & maturè regredi, quàm peruicaciter & inconcinnè progredi) simulq; obsecro, & obtestor, vt hanc tuam doctrinam mihi digneris communicare. Et si sanctis scri-

pturis

pturis aut sanctorum patrum scriptis, consentanea sit (gratiæ ductu) me amplexurum recipio.

Valeas in Christo.

E carcere 20. Februarij

An. 1554.

Per Robertum watsonum.

Postscriptum eiusdem epistole.

SI libellus ille quem mihi in carcerem, concedente Cancellario, transmiseris tuum de non transub. iudiciũ, te repudiare effecerit mihi quidem p- mirum. Siquidem patres illi omnes (quorũ eruditionem et pietatem venerbr et colo in Domino) si ęquo iudicio expẽdantur, maximé à me stant, et transub. plané euertũt. Nec erat institutum authoris libelli illius, asserere trãsub: imò oppugnare eos qui Christi pręsentiam in sacramento inficiantur: Si ego illis patribus, me non conformem reddo: meritò hæreticũ me nũcupandum censeo. Rursus, si nihil aliud astruam, quàm illi patres eruditissimi iuxta ac vetustissimi, tot retrò

sæculis scriptis mandarūt: profecto me hęreticum vociferatum, insigniter iniuria affectum iusté querar. Proinde, si patrum scripta quę libellus ille complectitur, vel aliqua alia tibi nouum formauerint iudicium: obsecro mihi excribas, vel notanter designes locum quempiá, aut locos quibus tu potissimum niteris: illis si ego concinnū responsum non expediuero, vt (vel te iudice) me illos non perperam intellexisse, nec latū vnguē ab eis diffidisse sentias: me præfractum, peruicacem, et pro hæretico proscribendum iudicato. Quod si hoc offerre non abundè sufficiat: præstat profectò me mortē oppetere, quàm conscientiæ meę sacris scripturis et patrum scriptis innixæ, maculam inurere. Oportet enim alicubi scripturam impleri, quæ ait, *Propter te morti tradimur tota die, habiti sumus velut oues destinatæ mactationi.*

Psal. 44.

*H*as iam literas ad Cancellarium Episcopi Norwiceñ. delatas, cum semel ipse inspexisset, retinuit, nec eas ad *Ba*rętum deferri voluit, inquiens, Episcopum oportere prius eas intueri, quàm

quàm. D. Barœto liberentur. Sed quidam, qui est episcopo à consilijs, magister Matherus nuncupatus, Norwicensis (qui facultate adepta me adeundi frequenter me in carcere inuisit) acceptum à me dictarũ litterarum mearũ exemplar, Barœto inspiciendum porrexit: quod quidem Matherus ipse mihi indicauit. Idcirco vbi Barœtus, initio sequẽtis epistolæ suæ, ait literas quas illi scripseram, nunquàm ad eum tum perlatas esse: hoc quidem verum. Sed tamen certissimũ est, illum, verũ eorũ exemplar plegisse: vtcunq; ipse prudenter id cælat et occultare cupit.

Sequitur epistola Ioannis Barœti theologi, Norwicensis, quam mihi in carcerem transmisit, et penes me adhuc habeo propria ipsius manu scriptam.

Amico meo Magistro VVatsono.

Et si literæ quas ad me scripsisse te obiter in colloquio insinuaueras, vir prudentissime, quod pridem cum domino Mathero tecum in primo cõgressu habuimus, nunquam ad me

hac-

hactenus perlatæ fuerẽ: quibus respõdere, fortè vrgentibus stimulis instigarer: neq; animus est tecum pugnam, eminus vel cõminus verbis aut scriptis cõserere: ne veterano militi et inermi strenuus iuuenis, audax & armatus aduersarius petulantius insultaret: neue veritatem, cuius custodẽ Ecclesiam catholicam *Lactantius* Firmian⁹, ipsius Apostoli Pauli elogio nixus, esse perdocuit, mea tenuitas & audacia ꝓdere videretur. Si cum homine nimiũ confidente, quiq; tantum sibi præ me semper tribuit, ne dicam nulli facilè cedente, committerem. Pro charitate tamen mea salutis tuæ in Christo Domino cupientissima, oportunum dignumq; existimaui, fraternitatem tuã in tempore cõmonefacere, quò maturé tibi, imò animæ tuæ saluti cõsulas: ne, dum paruipendere videri velis hanc corporis vitam breuem sané calamitosamq;, simul animę tuę salutisq; perpetuæ iacturam feceris. Persuasissimum quidem esse debet, extra Ecclesiam Dei catholicã, nemini salutẽ cõtingere posse, non magis quã extra arcam

Noe

Noe inuēti sunt, qui euadere potuerūt. Verissimé enī dixit iā memorat' *Lactantius*: Sola catholica ecclesia est, quæ verum dei cultum retinet, hic fons est veritatis, hoc domiciliū fidei, hoc templum Dei: quo siquis nō introierit, vel à quo si quis exiuerit, à spe vitę et salutis æternæ alienus est. Saluator enim prior dixit: extra ouile non esse inuenire vitam. Iam certissimum est: quisquis ipsius Ecclesiæ catholicæ fidē nō tenuerit (quam vnam esse Apostolus perspicuè docet) aut non cum ea charitatem, quæ vinculū est perfectionis coluerit, quantùmuis alioqui disertus, admirandus ac etiam pius, vel sibi vel mundo conspiciatur, Ecclesiam prorsus deseruit, ideóq; nec inter amicos sponsi agnoscendus vnquam. Sed similis est homini stulto qui à saluatore ædificare dicitur super harenam fluidā quidem ac solutam, cuius structura, ventorum ac vndarum procellis obnoxia quàm citissimè subuertitur. Sapiens vero contra, domum suam super solidam firmamq; petram ædificans aduersus quoslibet tempestatū insul-

tus

tus, fixus & immotus habitat securissimé. Ecclesia quippe catholica, rupes est illa fortissima, aduersus quam nec inferorum portas prȩualituras vnquã, Christus ipse contestatus est. Tutissimũ itaq; censeo huic niti, illi nos cõmittere, quæ ab Apostolo domus Dei, columna & firmamentũ veritatis appellatur. Vnde non minus pié quam diserté, quidam scripsit: illam sedulam cautamq; depositorum apud se dogmatum esse custodem. Nec quidem vel extenuandam esse putemus Ecclesiæ authoritatem, eóq; multò minus ab ea recedendum, q̃ interdum cathedram occupent pontifices vitæ non satis inculpatæ aut in ecclesia præsidere aliquãdo conspicimus criminosos, modò tamẽ per legittimam ordinationem, ius & potestatem ministerij acceperint. Cæterũ in oĩbus tenẽda est beatissimi Cypriani plenissima charitatis pietatisq; sentẽtia, dicẽtis: Quãquàm in Ecclesia videamus esse zizania, nõ tamen debet pturbari aut fides aut charitas nostra, vt quoniã zizania in Ecclesia cernimus, ipsi de ecclesia recedamus

cedamꝰ. At fortè fateberis verũ esse: extra ecclesiã nõ esse salutẽ, nec te electorũ quoquo pacto velle deserere. Nõ ignoras bone vir, ecclesiã catholicã esse, quę oẽs quidẽ cõplectitur habẽtes ꝓfessionis fidei cõmunionem, doctrinę & sacramentorum secundum catholicã & Apostolicam traditionem: atqui in hac cõmuni professione bonos simul & malos, donec rethe Euangelicũ ꝓmiscuè oẽs ad littus attraxerit, contineri. Et quamuis electorum tum ecclesia (qui Domino interim cogniti sunt) perpetuò salua futura in regno cœlesti, eam tamen in hoc sęculo cum reprobis in catholica commixtã esse ac cõuersari oportet. Alioqui nec ad electorum numerum pertinebunt separati tandẽ ad littus, nisi in sagena cõmuni reperiantur contenti. Quisquis igitur in catholica cõmunẽ omniũ fidem veram adeòq; catholicam haud professus fuerit, in cõmunione catholicæ doctrinæ et sacramentorum non perseuerauerit, quantùmuis specialem gloriosamq; fidem iactauerit, imò vitam quoq; suo iudicio probatissimam nedum specio-

fissi-

ſiſſimam duxerit, hoc ſolo ſcelere, vti veriſſimè dixit Auguſtinus, q, ab eccleſia catholica fuerit ſeparatus, q,q; à Chriſti vnitate ſeiunctus eſt, nō habet vitam æternam, ſed ira Dei manet ſup eum. Vt itaq; in fide catholica cōſiſtere quis queat, neceſſe eſt, vt orthodoxā eccleſiæ catholicæ doctrinam amplexetur impenſius, mordicusq; teneat. Quæ doctrinæ puritas non ſecundum traditionem præſentis, aut huius vel illius particularis eccleſiæ huius vel illius tēporis, aut huius vel illius interpretis, ſed ſecundum traditionem ab initio à temporibus Apoſtolorum cōcordi patrum conſenſu ad nos vſq; deductam, expetenda eſt. Non enim ideò quia Cyprianus aut Hieronimus aut Auguſtinus ita docuit: ſed quia Eccleſia Chriſti ab initio ſecundum ſucceſſionē, ſerie ad nos vſq; deducta, ex ſcripturis ſic credidit, tenuit, docuit, et prædicauit, idem nobis credendum et docendum eſt. Nec quiſquam putet (quemadmodum *Lirinenſis* ille, quem tu ſolus floccifacere audes, cum ſit ab omnibus doctis approbatus atq; laudatus

ipse Christus

datus

datus, piè iuxta ac verè censuit) quicquid vnus aut duo tantùm, sed quod pariter vno eodemq; consensu apertè, frequenter, perseuerãter tenuisse, scripsisse, docuisse cognouerit, id sibi quoq; intelligat absq; vlla dubitatione credẽdum: vt nouerint se omnes catholici cum ecclesia doctores recipere, et non cum doctoribus ecclesiæ fidem deserere. Proinde cũ Ecclesiæ catholicæ doctrina sit, quæ spiritu Dei ab Apostolis ad nos vsq; cõcordi omnium seculorũ cõsensu deriuata est; si de aliqua questione (sicut cõsultissimè dixit Ireneus) disputatio esset, nõne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, et ab eis de præsenti questione sumere quod re liquidum est? Quid autem si neq; Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinẽ sequi traditionis, quam tradiderũt ijs, quib⁹ committebãt *E*cclesias, cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorũ eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis

ſalutem. &c. Cui alludit & illud Augustini. Cũ hoc facimus, inquit, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum cõmendat authoritas, vt quoniam ſancta ſcriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quęſtionis, eandem eccleſiam conſulat, quam ſine vlla ambignitate ſancta ſcriptura demonſtrat. Quantum verò idẽ ſanctus pater, Eccleſiæ authoritati tribuendum eſſe iudicat, vel inde perſpicuum eſſe poteſt, q, nec ſanctiſſimi ac doctiſſimi Cypriani (quem alioqui miris effert prœconijs) ſententiam probat, quam reprobat Eccleſia catholica: non accipio (inquit) quod de baptizandis hæreticis & ſchiſmaticis, beatus Cyprianus ſenſit: quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua beatus Cyprianus ſanguinem fudit. Horum nunc amice dilecteq; in Domino frater, cõmonere te volui, ne temerè ab Eccleſiæ vnitate & doctrina recedas: à qua quidem diſcedere non niſi maxima temeritate potes in grauiſſimum animæ tuæ ſalutiſq; exitiũ. At quoniam quadã mecum expoſtulatione, quã mihi ipſe legebas in pri-

ma nostra visitatione efflagitasse videbaris, vt quæ pro mutanda sententia quod transsub. spectat, me commouissent, tibi rescriberem (quamquam scriptum illud nunquam ad me est delatum) hoc tibi nũc responsum esse volo. Et si rationes atq; testimonia quæ me ab astruenda illa substãtiarum cõmutatione seu conuersione in eucharistia absterrebant (qui pertinaciter tamen mordicusq; corporis Christi veritatem in Sacramento, realemq; ipsius præsentiã cõtra quoslibet aduersarios meos non paucos semp retinebã & defẽdebã) nullus hominũ vel disputatione vel collatione elusit seu dissoluit (quales tamen multos id posse nõ diffido:) hæc sane interim me commouerunt, nõ mundi terriculamẽta, vel carnis indulgentia: sed Ecclesię catholicæ authoritas, quã vel oĩm doctissimorũ protestantiũ censurę meritò, pręferendã censeo: fidei anologia, non rationis iudiciũ quod lõgissime ab hoc dijudicando mysterio exulare oportet: deinde consensus populorum ac sæculorũ, qui veritatem catholicam colunt: de-

niq; plurimorum ac beatissiimorum patrum orthodoxorũ testimonia, quibus ita sensisse Ecclesiam constat, non contentiosis. Quę quidem tanta pluraq; sunt, quàm epistolæ breuitas sinat inserere. Ne tamen me dolo vti causeris, & imponere tibi voluisse, selectorũ quorundam catologum seorsim scriptum, penes me paratum habeo, cuius videndi desiderio si capiaris, accõmodabo libentissimè requisitus. Verùm vt hæc ad te dedi nullius disputationis causa aut contentionis, ita te obtestor in Domino, ne me grauiorib' magisq; frugiferis rebus iam plus satis occupatũ, rescriptis aliquibus interpelles, sollicites ve. Dominus sui spiritus gratia illuminet mentes & corda nostra, vt idem in ipso sapiamus & sentiamus. Vale & resipisce, vt rectè semper valeas. 22. Martij, Anno. 1554.

Li. 17. huius epis. lege, cupientissimi, oportunum duxidignumq;. &c.

Tuus in Domino frater & amicus Ioànnes Barœtus.

Sequuntur literæ meæ, quibus respondi huic Barœti epistolæ.

Robertus

Robertus watſonus D. Barœto imprecatur ſynceritatem & ſimplicitatem in *D*omino Ieſu Chriſto.

SImul atq; mihi allatæ erant tuæ literæ, ſperabam aliquid exhortationis et conſolationis, me ex illis habiturum: ſed ecce, ingens diſiectio & horrendum præcipitiũ. Non de ſcripturis & patrũ ſcriptis quę citas loquor: illa quidem mihi magnoperè ſunt oblectamento, quæ quaſi mihi apparatã armaturã arripio. Sed de eo mihi ſermo eſt, quod tuaptè induſtria texuiſti. Scripturas autem et patrũ ſcripta, quæ tuo marte mihi ſategiſti iaculari: tentabo, an meo marte poſſim tibi retorquere. Vbi te charitatis ductu et animæ meæ ſalutis, oportunè me commonere prætendis: ſi quod obtendis, re ipſa ſis executus, indubiè apud Deum, cui abſtruſiſſima omnia ſunt nuda et reſupina, non fruſtraberis tuo præmio, nec penes me vacabis gratia. Cæterùm ne mihi ſolertior vel acuminatior quàm par eſt viſus ſim (quod mihi obiter argutè intendis) neve tàm ſtupido vel

hebeti ingenio, vt quouis fuco falli ac ludificari queam: ipsas tuas literas omnino prouocabo.

Quòd in ipso exordio me prudentissimum vocas, literarum tuarum contextus et series planè enincunt, te id dixisse ironicè. Sed esto scommate dictũ, æquanimiter feram. Verùm quum sint, qui eadem ex causa, pij iuxtà ac docti mecum perferunt et obdurant: tám abest vt ego sim solus prudẽtissimus, vt ipsi sunt mecum æque prudentes: & eo quidem prudentiores, quo plus adhuc perpessi sunt. Sed vtcunq; iocaris, mihi (sat scio) non esse iocãdi tempus. Tibi igitur seriò & ex animo eam imprecor prudentiam, quæ Euangelij synceritatem sapiat. Quòd me hominem nimium confidentem dicas, qui mihi tantum prę te semper tribuerim: Respondeo, te non æquum tempus me lacessendi delegisse: ego enim vinctus sum, tu tui iuris, immunis malorum quibus ego afficior. Non tamen diffiteor, te oppugnante, me veritatem aliquãdo propugnasse: & te vicissim idipsum fecisse. Quòd vero semper

mihi

mihi plus quàm tibi tribuisse me dicas, (nisi per hyperbolam velis effugere) si vir fueris æqua conscientia, te ipse velles arguere. Sed optarim quidem tantum tibi inesse (licet idipsum mihi fortassis velis regerere) quantum tibi velles deferri. Quum ais me nemini facilè cedentem: obsecro in medium proferas, quid vnquàm contra ueritatem pertinaciter asseruerim: vel cui vnquàm præter ius & fas (pro mea tenuitate dico) sum patrocinatus? Si id proferre queas, te obloquij immunem reddes: alioqui me falsò insimulasse merito arguaris. Sed interim hoc pacto te versutũ deprehendi: nam quum aut verbis aut scriptis mecum disputationem inire refugeris, ne tibi conscientia multiformis & portentosa (quam occultare moliris) magis reddatur perspicua: hoc fuco te extricare satagis, ais me nemini facilè cessurũ, & proinde te nolle mecũ conserta manu disceptare. Sed hoc tibi facilè reflecto. Cùm ego carcerem perpetior, tu à vinculis immunis: si scriptis mecum disceptare velis, dijudicabunt eruditi, vter nostrum fuerit præ-

fractior, vel ad cedendum veritati alienior. Porrò q̃ Ecclesiæ catholicæ authoritatem & fidem propugnando tãtopere desudasti, frustra te macerasti. Quis enim catholicæ Ecclesiæ authoritatem inficiatur? Quisnam fidelis vsquàm putauit, extra Ecclesiam Christi posse reperiri salutem? Quisnam Christianus catholicam Christi Ecclesiam, veluti fidelium omnium matrem, quæ se verbo & sacramentis Dei regenerat, & adoptionis gratia in filios recipit, educat, alit, ac tota vita sustentat: nõ veneratur & colit? In colloquio nostro, cùm mihi catholicam Ecclesiã obtendebas: aiebam, Christi Ecclesiam eatenus columnam & firmamentum veritatis appellari, quatenus veritatis docẽdæ munus quod Deus penes eam deposuit retinet. Deinde, dixi Ecclesiam habere authoritatem ab Euangelio, & non è conuerso, Euãgelium ab Ecclesia: quod probatũ adduxi Pauli testimonium. Debemus gratias agere Deo
2. Thess. 2 semper de vobis, *fratres dilecti a Domino, q̃ elegerit vos Deus ab initio in salutẽ, per sanctificationem spiritus & fidem veri*-

rita-

ritatis: ad quod vocauit vos per Euangelium nostrum, in acquisitionē gloriæ Domini nostri Iesu Christi. Et Ecclesiæ Christi notam esse dixi, genuinū verbi ministerium, & sacramentorum debitam administrationem.

Quòd ais me floccipendere *Lirinē*sem, quem dicis ab omnibus doctis approbatum: ex musca elephantem facis. Quærebas quomodo eo delectabar? Respondi, non mihi admodum esse cordi, sed me partim eo oblectare, partim eum non amplecti. Hoc ne facinus tā insigne, quod improperij nomine mihi sit tam argutè regerendum? Absit à me, vt (te iudice) vel lingua peccem. Sed vt ad Ecclesiam catholicam reuertar. Quanquàm nō sum testimonij expers, quin de Ecclesiæ catholicæ authoritate aliquid proferam: ego tamen tua ipsius testimonia lubētissimè amplector. Siquidem vt eorum patrū eruditionem & pietatem maximè veneror et colo in Domino: ita in illorū scripta, post verbum Dei, velut in anchorā fidei meæ recumbo. Verba illorū ex literis tuis citabo: quæ vehemē-

ter à me stant, & meam Ecclesiæ interpretationem haud mediocriter asserũt. Ait enim Lactátius, *Sola catholica Ecclesia est, quæ verum Dei cultum retinet: hic fons veritatis, hoc domiciliũ fidei & c.* Deinde sententiam refers cuiusdam vacantis nomine, quem ais piè & disertè, sic scripsisse de Ecclesia, illam sedulam cautamq; depositorum apud se dogmatum esse custodem. Pié quidem & disertè scriptum. Sed aduerte paulisper. Hę sententiæ sunt reciprocæ, & vicissim possunt commeare. Idcircò per simplicem conuersionem, sic de eis ratiocinor. Si sola catholica Ecclesia est, quæ verum Dei cultum retinet: ea profectò quæ verum Dei cultũ retinet, & non alia, sola catholica Ecclesia est. Et quò nunc porrò pergendum: nisi vt trutinemus, quis & qualis sit verus Dei cultus? Nũ hoc duntaxat ex solo verbo Dei est petendũ, iuxta illud Iesaie, *Ad legẽ & testimoniũ accedãt, quibus lux deest. An non secundum istum sermonem dicant? Quam qui neglexerit indurabitur & esuriet.* Rursus, per Ieremiam quoq;, Dominus identidem iubet

Iesa. 8

bet, precipuè ca. 6. *State super vias & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus vestris.* An non diuinitus dictum est. Frustra me colunt docentes doctrinas & præcepta hominum?

Iterum ait Dominus. Præscripseram eis axiomata legis meæ: sed repudiarunt ea, ceu quid alienũ. Est ne hæc acris reprehensio, iis qui verum Dei cultum aliunde quã à solo verbo veritatis expetunt? Siquidem de hominibus scriptura ait: *Filij hominum vani sunt, mendaces fili viri, si simul ponantur in bilance, ipsa vanitate leuiores erunt.* Et quare Lactãtius dicit, Ecclesiam fontem esse veritatis, Domicilium fidei, templũ Dei: nisi quatenus verum Dei cultum retinet? Quoad vero secundam sententiam. Si Ecclesia sit sedula & cauta custos depositorum apud se dogmatum: certè ea sola, quæ sedulò & cautè custodit depositũ apud se dogma, catholica Christi Ecclesia est. Et nunc demum abs te quæro, cuius sit illa Ecclesia, quæ hoc dogma sedulò & cautè non custodit: sed

Hose, 8.

Psal, 62.

ſed illud inuertit & reijcit? Et quodnã ſit dogma, quod apud eam ſit depoſitum? quod eſt diuino oraculo ſpiritu Dei proditum: an quod humanis inuentionibus ſit excogitatum? Nunc quæſo, te iudice, quid à me diſſident iſti? Num ego, eàtenus Eccleſiam, columnam & firmamentum veritatis dixi: quatenus veritatis docendæ munus, quod Deus penes eam depoſuit, retinet? Et propterea eſſe Chriſti Eccleſiã, quia Euangeliũ eius amplectitur.

Quod verò ait Ireneus, in omni diſputatione oportere ad antiquiſſimas recurrere Eccleſias in quibus Apoſtoli cõuerſati ſunt, & ſumere ab eis quod re liquidum eſt: vel defectu ſcripturæ, ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt ijs quibus cõmittebant Eccleſias. Hæc in eundem ſenſum recidunt, quem ſuprà memoraui. Idcircò ſi ad hanc trutinam ſiue examen velis recurrere, hoc idem & ego: & tùm de catholica Eccleſia deſijt controuerſia. Sed quid tùm in cauſa eſt, q̃ hoc nomine hæreticus nuncupor? quid tandem ſibi vult, q̃ me tam ſeriò iubes reſipiſcere,

idq;

idq́; periculo animæ meæ, quum nihil aliud asseram, quàm quod ex æterno Dei verbo Christi seruatoris mei, prophetarum & Apostolorum, nec non sanctorum patrum vetustissimorum, edoctus sum.

Interim verò, dũ circa catholicã Ecclesiã me solicitas, de qua inter nos nũquàm orta erat controuersia (imò nec quęstio quidem, nisi obiter & perfunctoriè) versutiam tuam eiusmodi esse expiscatus sum: q, vtcũq; inclinat mũdus, tu expers crucis euadas incolumis.

Sed conscientiam tuam, me paululũ interpellare ne graueris obsecro. Intercapedo biennij nondum intercessit, ex quo tu mecum eiusdem religionis fueris, quam nũc tantopere insimulas: & ambulauimus, vt ait Dauid, in domo Dei cum consensu.

Quęro igitur, an conscientia tua te vnquàm reprehenderit, q, religionem hanc ad quã me nũc æterni exitij interminatione conaris attrahere, repudiaueris? Imò te adhuc penitius aggredior. Cur vtiq; conscientia tua te non repræhẽderet, si æqua fuerit, q, ab

ea

ea religione desciueris vnquam? Non est enim leuis offensio à catholica Ecclesia desciscere, & tuo exemplo tot ab ea detrahere. Hic omne tibi intercipitur effugium, & nullo fuco elabi potes. Non responsum extorqueo, qui technas tuas experior, sed conscientiā tuam compello, nam oculos Dei nullo obtēdiculo queas fallere. Si religio hæc ad quam me sub fuco & noīe Ecclesiæ catholicæ, & non minore interminatione quàm animæ meæ iactura pertrahere operam tuam nauas, catholicæ Ecclesiæ religio sit: profectò religio illa, quam te supra quinquennium, ex animo cum iubilo & plausu amplexū esse scio, nō fuit religio catholicæ Ecclesiæ (sūt enim in pluribus planè cōtradictoriȩ & mutuo sibi aduersæ): sic quinquennio, velis nolis, fateri vrgeris, ab Ecclesia catholica (si nūc syncerū sit tuum iudicium) te defecisse, & permultos tuo exemplo ad imposturam pertraxisse: quorum nonnulli in eadē impostura (si nunc verè iudicas) è viuis excesserunt. Anne hæc pergrauis offensio? Nunc igitur quȩro, an de hac

defecti-

defectione & tam insigni scelere, vnquàm resipueris? Si respōdes, q religio illa quam supra quinquennium amplexus fueris, ad amussim diuinæ veritatis, & specimen antiquissimarum Ecclesiarum in quibus Apostoli conuersati sunt, & quas ipsi instituerunt, ad quas iuxta patres quos citasti in omni controuersia vel disputatione oportet recurrere, formata erat: & igitur non esse poenitendi causam q eam amplexus fueris: Tūc demum inquiro, Cur me resipiscere iubes, de re cuius te non poenitet? Si verò respondeas, te dolere defectionem tuam à catholica Christi Ecclesia. Tū quero cur defectionem tuam & culpam agnoscendo, calculū non publicè reducis, quo pœnitentia tua innotescat: & illos adhuc superstites, quos tuo exemplo in hanc descissionem pertraxeris, tecū ad pœnitentiam seriò inuites, in postliminiū redigas, & ab impostura ad veritatis tramitē reducas? Hoc dilēmate (cuius vtrumuis membrum deliges, es deprehensus) tibi reflecto, quod mihi intendis tuum *Resipisce*.

Quod

Quod animæ meę saluti tam anxiè consultum velis, & illius iacturæ me monitum: non cuiuis spiritui credendum esse dico, sed probandus est spiritus, an ex Deo sit. Operęprecium igitur videtur, examē adhibere, quo dijudicari queat vter nostrum spiritus ex Deo sit. Trutinemus ergo. Hæc est tua hortatio siue admonitio. Commonefacis vt animæ meę saluti consulam, ne cùm vitam corporis paruipēdere videri velim, simul animæ meæ iacturam fecerim. Acris quidem sententia & amarulentiæ plena. Quid deinde? Adfers aliquot patrū testimonia, quę catholicę Ecclesiæ fidem & authoritatē asserunt: à quibus ego ne latum quidem vnguē discessi vnquàm. Sed hoc pacto scopum astutè transtulisti, ne de re controuersa mecum disputes. Pergamus autem porrò. Iubes resipiscere. Sed quero, vndenàm resipiscerem? hic obtices. Respōdeo, præsto sum reddere rationem spei & fidei quæ in me est (vt iubet Petrus) cuilibet poscenti. Quid tū? Tu iubes resipiscere. Quęro autem de qua re resipiscerem? Tu dispu-

ſputare non vis aut verbis aut ſcriptis, eminus vel cõminus: iubes reſipiſcere. Quid verò tandem? Obteſtor (ais) in Domino, ne grauioribus & magis frugiferis rebus iam plus ſatis occupatum me reſcriptis interpelles. Reſpondeo, Obteſtatio tua quæ nomen Domini prætendit, ex Domino non eſt: igitur ei non obtemperandum. Me animæ meę iactura onerasti, & iubes reſcipiſcere: quum autem conſerta manu cõgrederemur, aut verbis aut ſcriptis, vt vel tibi vel mihi pateſiat reſipiſcendi cauſa, reſilis ac tergiuerſaris? Si eo pacto te hoc onere leuare cupis: in te profectò competit quod Chriſtus phariſæis ait: Colligunt onera grauia difficiliaq; portatu, & imponũt in humeros hominum, cæterùm digito ſuo nolunt ea mouere. Portentoſa profectò charitas, & mirificum hortandi ſuadendive genus. Sategiſti me præcipitare in horrẽdum interitus præcipitium (quod plerũq; obtingit ijs qui in Chriſti doctrinam non recumbunt, ſed per deuia vagantes, & quouis doctrinæ vento fluctuantes, fidei ſuæ firmamẽtum ſuſpen-

 ſum

sum habent) & quum pessundatū recolligeres, causaris te grauioribus & magis frugiferis rebus occupatum.
Tit. 1. Hæccinè est tenacitas illa doctrinæ fidelis sermonis, qua potens esset miles christianus, etiam exhortari per doctrinam sanam, & cōtradicentes conuincere? Sed gratiam habeo Deo meo, qui mihi præbuit effugium: deq; opulētissima sua benignitate, mihi tam affatim impertiuit, vt equidem cum Da-
Psal. 116. uide fateri experior. Fidem in Deum retinui etiam cum ipse cogerer dicere, me vehemēter deiectum esse. Ait enim
Rom. 10. mihi scriptura, prope te est verbum in corde tuo & in ore tuo, hoc est verbū fidei. Cui quidem verbo quisquis innixus fuerit, nullo pacto ludificari queat. Et rursum gratiam habeo Deo meo, qui æterno suo verbo me instruxit, bona conscientia verbo eius innixa, ac spei salutis galea me induit, scuto fidei & gladio spiritus me armauit, quo sub vexillo Christi seruatoris mei, omnes istos satanæ ictus excussi, & iacula illius ignita retūdere atq; restinguere valui. Et nūc quidem experior quòd plu-

ries

ries ante hac: quàm verum ſit & conſolationis plenum, quod in ſpiritu ait Dauid. *Lex Domini integra eſt, conuertens animam, teſtimonium Domini verū, imperitis ſapientiam ſuppeditans. Decreta Domini recta ſunt, cor exhilarantia. &c. Etiā ſeruus tuus perſpicuè illis admonetur. Nihil ergo ſit tibi perſuaſius, quàm ſicut diuinitus ſum edoctus, Quòd oīs qui transgreditur, & non manet in doctrina Chriſti, Deum non habet*: ita mihi habeo compertiſſimum, *ꝙ qui manet in doctrina Chriſti, hic & patrem & filium habet*: & neutiquàm hallucinari queat. In hanc igitur fulturam recumbo, & illic ſecuré conquieſco. Idcircò, ſi charitatis partibus (vt præ te fers) rité defungi velis, in hoc cardine tibi verſandum erit: nempé, vt probes, an in doctrina Chriſti maneam. Si in hunc ſcopum neruos tuos intenderes, charitatem tuam minus fucatam redderes & magis perſpicuam. Alioqui me hæreticum reputare (quod te facere eſt veriſimile: quorſum alias tendit tuum reſipiſce) eſt profectò Chriſtum blaſphemare, cuius doctrina nitor. Sed hoc tibi adfirmare audeo, nō

Pſal. 19.

2. Ioh.

iactabūdè, sed audacter in Christo seruatore meo (tu me impulisti:) si velis mecum vel verbis vel scriptis disserere, te deformem reportare conscientiam. Tumq; conspiceretur quod mihi improperas, vter nostrum æquius sit assimilandus homini illi fatuo, qui domū suam ædificauit super arenam. Et Rursus dico (si velis ea excipere) contexam tibi nisi quatuor argumēta, quę si possis mihi expedire, futurus sum tuus: q, si non possis ea diluere, cur nō tu resipisceres, animæ tuę iacturā alioqui facturus? Sic tibi retorqueo aīę iacturam. Cæterùm vt tandem pertexam quod orsus sum, vbi ais, nec mūdi terriculamenta, nec carnis indulgentiam te cōmouere, vt trāsub. admittas, (quam supra viginti annos horruisti, & quinq; annis aperto marte hostiliter es insectatus) dicam cum Horatio, *Ad populū phaleras, te intus & in cute noui.* Permirum quidem, q, mihi velis hoc obtendere, qui tantisper imbecillitatē & pusillanimitatem tuam expertus sum. Et si de arduis & maximi momenti rebus altercantibus concinnum fuisset lacesser

ſere: potuiſſem quidem tibi plura in medium proferre, vnde tua imbecillitas & inconſtantia tibi meritò debuit diſplicere. Sed tempero mihi, paria paribus referre nolens: Quòd autem me ipſum exponendo tuam incuriam & ſterilitatem (vt ita dicam) liquidò tibi explicuerim, æquo animo ferendum: charitatis enim officio perfũctus ſum. Res quidem pergrauis eſt & me magno cõſtat, pluris igitur æſtimãda quàm vt leuiter tranſigi poſſit. Sed dicam cũ Dauide: *Dominus Robur meũ & clypeus meus, in eo ſperauit cor meum, & adiutus ſum. Hinc geſtit cor meum & cantico meo eum celebrabo.* Pſal. 28.

Sed en tibi compendium eius literarum tuarum partis, quam Paulò ante finem inſeruiſti.

AIs, neminem vel diſputatione vel collatione eluſiſſe vel diſſoluiſſe rationes & teſtimonia, quæ te à tranſub. aſtruenda, abſterrebant. *S*ed *E*ccleſiæ catholicæ authoritatem te cõmouiſſe ais, quam doctiſſimorum omniũ proteſtantium cenſuræ præferendam cẽſes. Et poſt pauca, ais plurimorum ac

probatissimorum patrũ orthodoxo-
rum testimonia,quibus ita sensisse Ec-
clesiam constat non contentiosis.

Me hîc tecté contentiosum vocas,
ꝙ tibi palmam deferens non cedam,
qui ipse adhuc vacillas cõscientiæ tuæ
fultura vacans. Sed sustine paulisper:
deliniabo tibi tuam ipsius conscientiá,
& veluti in speculo proponam. Sermo
tibi est de transub.in ea enim versaris
eo loci.

Te catholicę Ecclesię authoritate,
& probatissimorum patrum ortho-
doxorum testimonijs,motum esse di-
cis:subaudi,vt transub. admittas:de ea
enim tibi sermo est.Et nihilominꝰ ais,
quę te à transub.astruenda absterrebát
rationes & testimonia,adhuc manent
non dissoluta. Sic nulla tibi patet
elabendi via,quin fateri vrgeris, ꝙ fœ-
dissimé hallucinaris:quia vel sophis-
matibus & imposturis ab astruenda
trãsub.absterreris:vel catholica Eccle-
sia & orthodoxorum patrum testimo-
nia, te prestigijs & imposturis, metu
authoritatis suę,id te admittere cõmo-
uit,à quo veritas te absterret:quia teip-
so

ſo teſte, rationes & teſtimonia quę te à tranſub. aſtruenda abſterrebant, adhuc manent non diſſoluta. Sicq; iuxta te, aut Eccleſia catholica & orthodoxi patres errāt: aut tu turpiſſimè hallucinaris. Quòd ſi hoc nondum ſit ſatis liquidum: habe adhuc aliud.

Quandocūq; duę rationes vel duo ~~teſtimonia aduerſa ſiue oppoſita~~ (quorum alterum ait, alterum negat) ſimul collimant in vnum thema: quod eorū imbecillius vel à veritate alienius eſt, cedere debet validiori, quod veritati propius accedit. Ita vt cùm conſcientia ab aliqua re adfirmanda vel admittēda abſterretur, per rationes vel teſtimonia infirmiora: quum ſemel ratio validior vel teſtimoniū firmi⁹ ac robuſtius accedat, quod de re cōtrouerſa teſtimoniū fert validius & fide dignius: tunc prior ratio infirmior & pri⁹ teſtimoniū inualidum, quaſi diſſolutum ac planè dilutum cedere debet, & nullum omninò habere locum. Sed huic axiomati, in te locus non eſt: quia quantumuis nunc moueris authoritate Eccleſię catholicæ & orthodoxorum patrū teſti-

monio, transsub. admittere: manent tamen rationes & testimonia, quæ te à transsub. absterrebant, nõ dissoluta. Sic iuxta te, rationes & testimonia quę te absterrebant à transsub. validiora sunt quàm Ecclesia catholica & orthodoxorum patrum testimonia: quia illa adhuc manent non dissoluta: hęc te impellunt metu authoritatis.

Quod si adhuc non sit tibi hoc satis perspicuum, accipe & tertium.

SEd primò inuestigemus thema. Sit hoc primum thema. Quid absterretur? Respõdeo: animus absterretur, cuius pars est conscientia. Sit hęc secunda quæstio. Quãtisper absterretur conscientia? Respondeo, donec terriculamentum fuerit sublatum.

Argumentum.

Datisi. QVI manente terriculamento, quo absterretur conscientia, contra hoc aliquid agit vel admittit, cõtra conscientiam facit; sed tu manente terriculamento, quo absterrebaris à transsub. astruenda, nunc motus authoritate Ec-

cle-

clesiæ papisticæ (quam tu catholicam vocas, sed iuxta tuas ipsius normas ita non est) illam admittis? Ergo propter authoritatem facis contra cõscientiam.

Caue igitur tibi & resipisce, quia quicquid ex fide non est, peccatum est. Rom, 14.

Vbi igitur gloriatio conscientię tuę quam tantopere prouocas, & iactabũdè ostentas?

Sic rursum hoc altero argumento, tibi retorqueo, quod mihi intẽdisti tuum *Resipisce*.

Hactenus aĩm meũ quo opprimeris onere leuans, tandem tibi eam imprecor valetudinem, quæ Euangelium Christi deceat.

E carcere. 28. eiusdem mensis Martij.

Tuus in Christo frater & amicus, Robertus watsonus.

HAS posteriores literas, ego in carcere ipsi Barœto, coram magistro Mathæto antedicto, & Ioãnne Fellouo custode meo, prælegi: quas posteaquã plegerim, & circa vnius horę interuallum, â nobis ratiocinantibus tritum fu-

erit (suis literis non admodum sibi arridentibus) decessit. Postero autem die, (quod verũ est ingenuè fatebor) se cęteris amicis meis adiungens, meam expeditionem solicitauit & elaborauit.

EX his iã literis quæ inter nos, hinc inde transuolarũt, liquidò cõspicitur, quàm sit Barœtus vir parum sibi constans. Et mirum profectò, eruditus quum sit, tam exiliter & insolidè scripserit. Sed sic persæpe obtingit ijs, qui quocunq; mundus inclinat se flectũt, & ex humano nutu ac renutu sic pendent, vt sit cum illis, aiunt aio, negant nego: q; ita prudẽter (si dijs placet) incedunt, vt tandem (sic puniente Deo) in neutram partem, nec sapientia nec eruditione pollent. Nam cum semper sibi tutum putauit duabus sedere sellis, nunc tandem nulla penè auis æque variat plumas, atque ipse suas sententias, quò tutius ab adflictionibus Euangelij euadat. Quod quidem mihi vehementer dolet, pręsertim quum sit haud vulgariter doctus, nunc vergens ad senium, ita sit quouis cothurno versatilior. Nam supra quindecim annos

sat

ſat ſcio, eum (quoad ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti) perſeuerãter & mordicus ſtetiſſe à Luthero: deinde quinq; ãnos, repudiato Luthero, pro tempore (vt qui oleum & ſalem emit) ſtetit a nobis: demum verò (dolẽter dico) quantumuis conſcientia ſua adhuc à tranſub. aſtruenda plane abſterretur, vt ex ſuo ipſius teſtimonio audiſtis, tamen propter authoritatem, non Dei ſed hominum, tranſub. adfirmans: tam à nobis quàm à Luthero, planè defecit ad papiſtas, non ſecus atq; canis ad ſuum ipſius vomitum reuerſus.

Cæterùm, dũ inter me & *Barœtũ* ſic dimicatũ eſt, fuit mihi in manibus alter ãtagoniſta, nempe *Ioãnes* Chriſtoferſonus, Decanus Norwicenſis, vir certè comis & ciuiliter probus, latinè & grecè nõ vulgariter doctus: nec ſcripturarũ ac doctorum Eccleſiaſticorum ignarus: qui comiter admodum & humanè, licet per interualla ſatis acriter, in carcere mecum inijt diſputationem. Quam diſputationem inter me & Decanum, deferam: donec dictos articulos

ticulos meos (quorũ nomine. Gardeneŕ & eius farinæ homines, me hęreticum clamitant) per ſcripturas, aſſeruerim atq; probauerim. Et penes verã & catholicam Chriſti Eccleſiã, cuius hac in cauſa cenſuram prouoco (non hypocriticam dico, cuius iudiciũ cœno papiſtico aſperſum penitus eſt obcęcatum) eſto iudicium.

Quatuor articulorum meorũ probationem, promiſcuè & conciſioribus quibus potero rationibus, expediã: papiſmũq; qui eis ex diametro pugnat, obiter per verbũ dei euertam. Quoad verò tranſub, necnon realem Chriſti pręſentiam in ſacramento (cuius licet in articulis meis nulla ſit mentio, tamẽ quia inter diſputandum in illud incidimus) vt inter nos tractatum fuerit, nouiſſimè explicabo.

PRobatio trium priorum articulorũ meorum.

Ieſa. 48. *Ego dominus Deus tuus, docens te quæ profutura ſunt, dirigens te in via, qua tibi eſt eundum.*

Argumentum

Si

SI Deus dirigit nos in via, qua nobis est eundum: certé nulla via nobis eundum est, in qua *D*eus nos non dirigit: Sed missa in lingua peregrina, in qua omissa cõmunione, sacramentum priuatim sumitur à solo sacerdote, & altera pars sacramẽti à laicis subtrahitur, ita est via à *D*eo nobis nõ directa, vt verbo eius maximè aduersatur: Igitur ea non est nobis eundum. *Cõuersio per contra positionẽ.*

EX tuis constitutionibus rectè res perpendo, & propterea odi omnem semitam fallacem. Psal. 119.

Ad legem & testimonium accedãt, quibus lux deest: annon secundum istum sermonem dicant? quam qui neglexerit indurabitur & esuriet. Iesa. 8.

State super vias, & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis requiem animabus vestris. Iere. 6.

Argumentum

REs quæuis, maximé autem religio, ex Dei cõstitutionib⁹ perpẽdenda est, & quicquid ei nõ quadrat, vt semita fallax odio habẽda est: Sed missa in lingua peregrina, in qua omissa cõ-

munione

cõmunione ſacramentũ priuatim ſumitur á ſolo ſacerdote, & altera pars ſacramenti á laicis detrahitur, conſtitutiones Dei auerſatur: Ideo vt ſemita fallax odio proſequenda eſt.

Probatio minorum vtriuſq; argumẽti.

Paulus diuerſis ſimilib⁹, probat linguam, qua oratur in Eccleſia, debere ab Eccleſia intelligi: nempè p̃ diſtinctionem ſonis tibiæ vel citharæ, per vocem tubę in bello: per gratiarum actionem, ad quam intelligentiæ expers nequit dicere, Amẽ: diuerſiſq; alijs ſimilibus. Et præcipiens omnia in Eccleſia ad ædificationem fieri: vetat lingua loqui in Eccleſia (publica ſcilicet voce) niſi adſit interpres. Et in ſumma ait, *Quæ ſcribo vobis*, D*omini ſunt præcepta*. Igitur publicæ preces in Eccleſia, in lingua peregrina, eſt præuaricatio præcepti diuini, atq; ideo peccatum. Tametſi enim lingua Romana, ijs qui eam callent, res ſit adiaphora, *E*ccleſia tamen quæ conuenit vt ædificetur, linguæ illius ignara, fructu vacat.

Quoad verò ſacramentũ. Chriſtus peracta inſtitutione ilicò ſubiunxit,

Hoc

Hoc facite in mei commemorationem. Quæ verba *(hoc facite)* ad ſubſtantiam actionis Chriſti in inſtitutione referenda ſunt: nimirùm ad materiam, ad verba, & ad diſtributionem vtriuſq; ſpeciei cõmunicantibus. Idcircò Miſſa, in qua omiſſa cõmunione, ſacramentum priuatim ſumitur à ſolo ſacerdote, aut altera pars ſacramenti a laicis ſubtrahitur: inſtitutioni & præcepto Domini ita aduerſatur: vt ſi quis Domino præcipienti, hoc fac, reſpondeat, nõ faciam hoc, ſed adijciam de meo, & diſtraham vt mihi viſum fuerit. Siquidem enunciationes contradicentes accerrimè diſſident: nam poſito vno, alterũ tollitur.

Paulus tá accuratè & præciſè, verba Domini ſui obſeruare voluit: vt tradendo Corinthijs cœnam dominicam, dicere audebat, *Ego accepi a Dño, quod & tradidi vobis.* 1Cor. 11 *Hoc* quidem dicere nõ queunt Romani põtifices, qui miſſam papiſticam inſtituerũt. Siquidem eleuationem & adorationem ſacramenti vt Dei, priuatam ſacramenti ſumptionem à ſolo ſacerdote, & ſubtractionẽ alterius ſpeciei a laicis, à Domino non

acce

acceperunt. Idcircò eorum sacrilegium & insolentia redarguũtur à Propheta
Hose. 8. per quem ait *Dominus. Præscripseram eis axiomata legis meæ, sed repudiarunt ea ceu quid alienum.*

Col. 2. Proinde Paulus Colossenses diserté monuit, vt sibi præcauerent, ne quis eos deprædaretur per philosophiam & inanem deceptionem, iuxta institutionem hominũ & non iuxta Christũ. Quòd si fas sit hominibus, catholicæ Ecclesiæ nominis induuio, Christi instituta inuertere aut alterare, & eorum inuenta Christi institutionibus anteferre: quid tantopere Paulum solicitauit illos tam anxiè præmonere, vt viderent ne quis eos deprędaretur p inanem deceptionem, iuxta institutionem hominum, & non iuxta Christum? Quænàm verba queũt excogitari magis perspicua, quę nos certiores redderent de huiusmodi Antichristis & sacrilegis, qui aut diuina instituta planè reijciunt, aut inuertunt: vel ex eorũ cerebris excogitata commenta eis adijciunt, & sacrosanctã Dei religionem, spurcissimis adinuẽtionibus suis violant

lant & contaminant?

Et ne eius admonitio idoneam rationem deficeret, ilicò subiunxit causam, dicens: Quoniam *In illo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter & estis in illo completi.* Quid contra cultum ex doctrina & præcepto humano institutum dici potest luculentius? Ait enim, q, in Christo sumus completi. Hoc est, per sanctisicationem spiritus & fidem veritatis, per exuberantiã gratiæ & doni iusticiæ, quam in Christo consequimur, ita facti sumus idonei ad vitam æternam, vt versantes iuxta eius doctrinã & ab ipso institutam religionẽ, euadamus filij Dei, ac vitæ æternæ hęredes. Quid igitur supest quod homines excogitẽt? præsertim cùm vt ait Dauid, *Filij hominum vani sunt, mẽdaces filij viri: si simul ponantur in bilance, ipsa vanitate leuiores erũt.* Nam cùm Deus se in Christo nobis plené & in solidum exhibuit: illum profecto imperfectionis insimulant, qui solida in Christo perfectione non contenti, institutis eius vel adijciunt vel detrahũt. quasi quod a Christo inchoatum sit & Psal. 62.

imperfectum perficiant.

Vnicus hic Pauli locus, pregnans est tanta perspicacia, vt si attentè aduertatur, in quem scopum verba sua collimat: vel puero perspicuum est, q; Papa & eius satellitium, episcopi & sacrifici eius farinę: sunt ipsissimi Antichristi, qui venturi erant, nec alij sunt expectādi. Nihil enim oīno agūt, quàm vt se ex diametro Christo opponant, & quod ipse instituit, vel penitus euertāt: vel fœdissimis suis traditionib' cōtaminent. Sic quicquid Deus p Christū, vel præcipit vel instituit, Lesbia regula (quod aiunt) ita metiūtur, & non lapidem ad amussim (vt facere debeāt) sed amussim ad lapidem ita applicant: vt Christo cœli & terræ Domino duntaxat inani titulo relicto, sese efferētes super omne
2. Thess. 2 quod dicitur Deus aut numen, in templo Dei, conscientia nempé humana, sedent, ostentantes seipsos esse Deos. Neq; hîc illis suppetit confugiendi locus ad generalia concilia: impia enim concilia, quæ se contra Deum & Christum eius extulerūt: nam in illis haud

du-

dubiè præfuit Antichriſtus.

Paulus ad Romanos ait, *Obſecro vos fratres, vt conſideretis eos qui diſſidia & offendicula contra doctrinam quam vos didiciſtis gignunt, & declinetis ab illis. Nam qui huiuſmodi ſunt, Domino Ieſu Chriſto non ſeruiunt ſed ſuo ventri: qui per blandiloquentiam & aſſentationem decipiunt corda ſimplicium.* Rom. 16.

Doctrina hæc de qua loquitur Apoſtolus, indubiè eſt pura doctrina Chriſti, Apoſtolorum, & prophetarum, (aliam enim doctrinam Eccleſia Chriſti tùm nō experiebatur) ſed qui Miſſam in lingua remota, in qua omiſſa cōmunione, ſacramentum priuatim ſumitur à ſolo ſacerdote, vel altera pars ſacramēti à laicis ſubtrahitur, inſtituerunt: offenſiones & diſſidia cōtra hanc doctrinam ſuſcitarunt, ac nouis & humanitus excogitatis dogmatibus, Chriſti veritatem extruſerūt: quocircà æterna Dei veritas contemptibilis & odioſa redditur. Idcirco Domino Ieſu nō ſeruiunt ſed ſuo ventri, & propterea ab eis declinandum.

Quia breuitati ſtudeo, non eſt mi-

hi in hoc loco explicando immorandi animus, qui alioqui ex se adeò lucidus & perspicuus est: vt quisq; papistarum practicam prudentiam cum eo contulerit, reperiet Paulum eos hîc viuis eorum coloribus ad vnguem depinxisse. Quinàm enim sunt, qui dissidia & offendicula contra doctrinam quam didicimus a Deo patre, filio & spiritu sancto, per prophetas, Christū ipsum æternū *Dei* filium, & Apostolos eius gignunt: si ipsi papistæ non gignunt? Quiq; sunt, qui sanctitatis fuco ventri inseruiunt, & cutem tantopere curāt, atq; ipsi? Magnopere igitur refert,
1. Ioh. 4. cautionem adhibere in iudicando: *ne cuiuis spiritui credamus, sed probemus spiritus an ex Deo sint.* Namsicut edocti sumus, q; omnis qui transgreditur &
Io. 2. non manet in doctrina Christi, Deum nō habet: ita reddimur certiores q; qui manet in doctrina Christi, hic & patrē & filiū habet. Proinde ne versutis hominum cauillis simus expositi; quum nihil æquè firmum esse atq; doctrinā scripturarū, certo experimento edocti nouimus, vt in hanc fulturā tutò recūbamus

bamus. Idcirco quod ad me attinet, quũ me hoc nomine hęreticum clamitant, q; purissimam Christi doctrinam & eius immaculata instituta non repudiauerim, humanas adinuentiones amplexurus: Respondeo cum Paulo, *Quòd iuxta viam quam vocant hæresim, sic colo patrium Deum: credens omnibus quæ in lege & Prophetis scripta sunt.* *Act.24.*

Verbum Dei vnica fultura est, in quam Christiana cõscientia recumbit: nam si hoc eam deficiat, certitudine de Dei beneuolentia vacat, ac viuens planè mortua est: & propterea eiusmodi epithetis insignitur.

Lex Domini integra est, conuertens animam, testimonium Domini verum, imperitis sapientiam suppeditans & c. Etiam seruus tuus perspicuè illis admonetur. *Psal.19.* Et Christus ait, *sermo meus veritas est.* Idcirco sicut qui iuxta verbum eius Deum colunt, fidei suæ firmamentũ habent, de eius erga eos beneuolentia persuasissimi redditi: ita profectò qui iuxta doctrinas & præcepta hominũ Deum cultu afficiunt, testibus Iesaia & Christo, frustra eum colunt. Quem

a colendo Deo iuxta doctrinas & inuentiones humanas, nõ absterrere debent horrenda illa exempla Nadab &
Le.10. Abhiu & Saulis? aduersus quos tan-
1.Sam.15. topere excanduit ira Dei, q; deserto eius mandato, propriam voluntatem & bonam (quod aiunt) intentionem sequuti, eum coluerunt. Si igitur axiomatibus nobis præscriptis diuinitus repudiatis, Deũ iuxta humanas inuẽtiones coluerimus, putabimus ne nos quoq; improbitatis nostræ feces aliquandò bibituros?

Equidem percupio discere ex Papa & eius satellitibus, episcopis & sacrificis in eodem ludo edoctis: quo pacto queunt telum hoc quod Samuel Sauli eiaculatus est (propterea quòd Deum iuxta cerebrum suum, aut bonam, vt vocant, intentionem coluerit) possunt sibi excutere, ne illos letaliter feriat.

Ecce obedire, præstat sacrificijs, & auscultare præstat arietum adipi: Quoniam contu-
1.Sam. 15. *macia peccatum est magiæ, & obfirmare animum peccatum est idololatriæ.*

Idcirco Dauid spiritu Dei edoctus,
Psal.62. q; *filij hominum vani sint, mendaces filij*
viri

viri: Sic Deũ precatus est. Formato gressus meos eloquio tuo, & ne dominetur mihi vlla vanitas. Psal. 119.

Quum igitur vt ait Dauid, *Filij hominum vani sint, mendaces filij viri,* quã obtenebratum est cor insciẽs papistarum, quàmq; stupent Boeti, vt non intelligant, q̃ quicquid instituerit homo, quoad diuinum cultum, penitus vanũ est & mendax, ac coram Deo abominandum?

Sed non me fugit quàm inscitè & sophisticè sunt versuti: nam ad solitam eorum stropham recurrẽtes, vno scripturæ loco perperam intellecto, conaturi sunt, quicquid vel dixerim vel dicturus sum, quasi vna alapa penitus euertere: nempe, Quicquid ligaueris in terra. &c. Et quicquid solueris. &c. Sed (Christo mihi annuente) neutiquam sic aufugient: nã locũ illũ vel leuiter & concisè in trãscursu expẽdẽdo liquidò patefaciam, quàm ꝓteruè Romanus Antichristus & eius satellites, illũ detorserũt, ad earum petulantiã & tyrannidem, cõtra Christũ muniendũ.

QVòd autẽ ad nefandam eorũ blasphemã spectat, qua asserunt missã sacrificium esse propitiatoriũ pro peccatis viuorum & mortuorum: preciũ operę non est, vt in illa euertẽda multum ocij teram: quum ipse idem articulus, Pauli locum cõplexus est, qui eos blasphemiæ cõuincit. Verba enim Apostoli adeò lucida sũt & perspicua, vt nullo omninò egent interprete. Nõ enim duntaxat ait, *Sanctificati sumus p̃*

Hebr. 10. *oblationem corporis Iesu Christi*, sed addit *semel pactam*: quo nondum omnia sacrificia præter vnum extrudat, sed vt iterationem quoq; penitus eximat. Et vt perfectionem & consummationem insinuaret, addit etiam *imperpetuum.*

Idcircô Chrisostomus, homil. 17. in

Chrisost. epistolam ad Hebræos ait.

Nonne p̃ singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius, & vna est hostia & non multæ. Quomodo vna est hostia & nõ multæ? Quia semel oblata est illa, oblata est in sancta sanctorum: hoc autem sacri-

ficium

ficium exemplar est illius.

Hîç Chrisostomus ait, sacrificium nostrum esse ad recordationem, & esse exemplar illius sacrificij. Et vbi Chrisostomus ilicò subiungit.

Idipsum semper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, crastinum alium, sed semper idipsum.

Hoc quidem verũ, sed omnino intelligendum, nos fide illud offerre. Quia fide iugiter & verè offerimus Christum Deo patri, pro peccatis nostris. Et tamen adeò papistas nihil pudet, vt non verentur pro publica contione adserere, Missam esse sacrificium propiciatorium pro peccatis viuorum & mortuorum. Non secus atq; dudùm fecit impudens ille blasphemius Tedmanus præbendarius Ecclesię Norwicensis, Norwici.

HActenus quatuor articulorũ meorum probans, nunc disputationẽ inter me & Decanum Norwiceñ, vobis patefaciam. Inter nos nihil fuit cõtrouersum, præter transub. & realem Christi præsentiam in sacramento. Primò, hoc argumento ex authoritate

Ambrosij, me aggressus est.

Argumentum Decani.

Ambrosius. Li. 4. de sacramẽtis. ca. 4. loquens de sacramento, sic ait: Panis *iste, panis est ante verba sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi: Ergo sacramentum post consecrationẽ non est panis, sed caro Christi.*

Respondi.

Verba Ambrosij primo accessu vehementer premũt, sed si Ambrosio pmittatur, vt sui ipsius interpres existat, facillimè elicietur, illum nõ sẽsisse materialem elementorum transmutationem: sed duntaxat mutationem sacramentalem & spiritualem, quod ex suis ipsius verbis luculenter euincam. Siquidem eodem libro quarto de Sacramentis, sic ait.

Si ergo tanta vis in sermone Domini *Iesu, vt inciperent esse quæ nõ erant, quãtò magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud cõmutentur?* Et paucis interiectis. *Tu ipse eras (inquit) sed eras vetus creatura postq̃ consecratus es. &c. noua creatura esse cœpisti.*

Hic Ambrosius planè explicat sensum

ſum eius, non eſſe de materiali muta-
tione elementorum, ſed de ſacramen-
tali & ſpirituali mutatione? Ait enim
de Sacramento. Quantò magis opera-
torius eſt ſermo Chriſti, vt ſint quæ e-
rant, & in aliud commutentur. Ergò
ſi ſunt quæ erant, vt ait Ambroſius, túc
panis & uinum manent, vt erant ante
conſecrationem. Et commutantur, vt
ait Ambroſius, in aliud. Hoc eſt, panis
& vinum, acceſſione verbi Dei & mi-
ſtica operatione ſpiritus ſancti, cõmu-
tantur in ſacramentum & ſymbolum,
quo Chriſtus arcano miniſterio ſpiri-
tus ſancti, ſpiritualiter & verè exhibet
ſyncerè credentibus in ipſum, ſuũ ip-
ſius corpus & ſanguinem. Et q; is ſit
genuinus Ambroſij ſenſus, ſimilitudo
quam adfert de regeneratione noſtra
plane conuincit. *Tu ipſe quidem eras (in-
quit) ſed eras vetus creatura, poſtq̃ conſe-
cratus es. &c. noua creatura eſſe cœpiſti.*

Quæ quidem ſimilitudo perſpicuè
deſignat, eandem mutationem eſſe in
Sacramento, quæ eſt noſtri in regene-
ratione: nempè ſacramentalis & ſpiri-
tualis, non tranſubſtantialis. Et hoc ita
eſſe

esse, ex suis ipsius verbis adhuc luculẽtius demonstrabo. Ait enim in cõmẽtarijs, suis in epistolá ad Hebræos, ca. 5. sic: *Sed in ista carne & saguine, nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipiat: ne sicut dicit Apostolus, Qui enim corpus Domini indignè mãducat, iudicium sibi manducat. Sed viuificam substantiam atq; salutarem in pane & vinò, per quæ si dignè sumitur, nobis est peccatorũ remissio, & regni possessio Dei collata.*

Hîc luculẽtè asserit Ambrosius, mẽtem humanam concipere viuificã substantiam atq; salutarem in pane & vino. Ergo panis & vinum manent: & Ambrosij sensus est, de sacramentali & spirituali mutatione. De qua quidem mutatione, scriptura quoq; frequenter loquitur. Vt de Saule, Cui ait Samuel: *Obuium habebis chorum prophetarum descendentium de excelso. &c. Et spiritus Domini promptè te inuadet, vt prophetes & tu cum eis, muterisq; in virum alium.* *1. Sam. 10*

Hîc scriptura loquidò testatur, Saulis mutationem, cum tamen prior eius & naturalis substantia nihilominus maneret, & mutatio erat spiritualis.

Et

Et ſic de ſacramento intelligédum eſt, panem ſacramentaliter mutatum eſſe in ſymbolum & Sacramentum, quo Chriſtus arcana operatione ſpiritus ſancti nobis ſpiritualiter exhibet ſuũ corpus: & panem nihilominus in ſacramento manere, iuxta illud Auguſtini, tractatu ſuper Ioànnem: Accedit verbum ad elemẽtum, & fit Sacramentũ.

Replicabat Decan⁹: Si panis mutetur in ſymbolum & ſacramentum, tũ ſubſtãtia vertitur in accidens: quia ſacramentum nihil eſt quàm ſignũ myſticũ, hoc eſt, accidens. Ego autẽ contrà aſſeuerabam, panem in ſacramento manere, illudq; ex elemento & verbo conſtare: ac dictis Auguſtini verbis mordicus hæſi. Ait enim, *Accedit verbum ad elementum & fit ſacramentũ*: vt ſit ſenſus, ipſum elementũ fit ſacramẽtum. Sic, verbum nõ propellit elemẽtum, ſed illud conſeruat, quod accedẽte verbo conficitur ſacramentum.

Deindè petebat me Decan⁹ alio argumento, ex authoritate Cypriani, ſermone de cœna Domini.

Argumentum Decani.

Sic

Sic ait Cyprianus: *Panis iste quem discipulis Dominus porrigebat, nō effigie sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro:* vnde sic conclusit. Ergo sacramentum post consecrationem non est panis, sed omnipotentia verbi mutatur, & factus est caro Christi.

Respondi.

Locus iste Cypriani prima fronte vehementer vrget: sed si attentus lector Cypriani sermonem diligenter aduertat, & consideret in quem scopum verba sua collimet, facillimè eruet sensum Cypriani longé à transub. abesse. Siquidem loco iam citato ilicò subiunxit verba admodum perspicua, quæ luculenter indicant sensum eius aliò tendere, quàm ad transub: nimirū ad sacramentalem & spiritualem elementi mutationem.

Ait enim, *Sicut in persona Christi humanitas videbatur, latebat autem diuinitas, ita in sacramento visibili, diuina se infundit essentia, vt esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad veritatem cuius corpus sacramenta sunt, syncerior pateret accessus, vsq; ad participationem spiritus.*

Hæc

Hæc similitudo diuinitatis & humanitatis Christi, liquidò euincit, sensum Cypriani, non esse de elementorum mutatione, sed sicut in persona Christi humanitatis, latebat diuinitas: ita in visibile sacramentum, nempè elementum panis, diuina se infundit essentia. Sed diuina essentia nequit se infundere in id quod non est: oportet igitur iuxta Cyprianum, manere elementũ panis, in quod infusio fiat.

Deinde vbi Cyprianus in citato loco, ait *panem non effigie sed natura mutatum*. Natura illic nõ pro substantia aut essentia est intelligenda, sed pro virtute seu efficacia & operatione: sicut apud medicos nonunquàm. Et quidẽ apud sanctos patres frequenter vsurpatur, vt ex voce vna, remotiore significatione, metaphoricôs aliud intelligant. Ait enim Ambrosius, lib. de ijs qui initiãtur mysterijs, Capi. 9. loquens de Sacramento.

Si tantum valuit sermo Eliæ (inquit) vt ignem de cælo deponeret, non valuit sermo Christi, vt species mutet elementorum?

Hic

Hic species nō accipitur iuxta propriam significationem pro externa apparētia seu effigie: sed pro efficacia, virtute, & operatione. Quis enim non videt species elementorum non mutari, si speciem pro effigie & externa apparētia intelligat? Idcircò vt hic ab Ambrosio, species vsurpatur pro virtute & operatione: ita natura à Cypriano (& quidem magis propriè) accipitur pro virtute & operatione. Et q, is sit germanus Cypriani sensus, ex ipsius verbis eodē sermone, luce propè ipsa clarius patefaciam.

Ait enim, *Esus carnis Christi est quædā auiditas, & quoddam desiderium manendi in Christo.*

VNde hoc texo argumentum, obliquo ductu ad impossibile, seu inconueniens.

Argumentum

Obliquo ductu ad impossibile.

Si panis transubstantietur in reale corpus Christi, sequeretur q, quicunq; edit sacramentum, edit etiam realem & naturalem carnem Christi: Sed impius non edit carnem Christi, quia esus carnis Christi (vt ait Cyprianus) est quæ-

quædam auiditas & quoddam desiderium manendi in Christo: qua quidem auiditate & desiderio impij planè vacant. Ergo antecedens illud, Panē transubstantiatum esse in reale corpus Christi, falsum est. Nam si consequens aliquod falsum est, id cuius hoc est cōsequens, non potest esse verum.

Porrò, Augustinus sermone vndecimo de verbis Domini, sic scriptum reliquit. *Non ergo quocunq; modo quisq̄ manducauerit carnem Christi & biberit sanguinem Christi, manet in Christo & in illo Christus: sed certo quodam modo.* Vnde sic argumentor.

Argumentum.

Si panis in Sacramento transubstātietur in reale corpus Christi, sequeretur, q̄ quocunq; modo quisquam mā-ducauerit sacramentum, siue fidelis fuerit siue infidelis, maneret ad tempus in Christo, & Christus in illo. Sed cùm hoc falsum sit, vt Augustinus testetur, Antecedens illud, panem transubstantiatum esse in reale corpus Christi, falsum esse necesse est.

Obliquo ductu ad impossibile

Idcirco vbi Augustinus in hoc ipso

sermone, ait: *Multi deniq, qui vel corde ficto, carnem illam manducant & sanguinem bibunt, vel cum manducauerint & biberint, apostatæ fiunt, nunquid manent in Christo, aut Christus in eis?*

Perspicuum est, Augustinū hîc nuncupare sacramentum, carnem & sanguinē Christi, metonymicôs, propter analogiam & conuenientiam inter sacramentum & rem sacramēti: sicut Apostolus vocat baptismum nostrū, sepulturam cum Christo: quemadmodum idem ipse Augustinus testatur ad Bonifacium, & etiam de sententijs Prosperi.

Hæc duo argumenta, obliquo ductu, adegerunt Decanum ad solitam eorum & impiam absurditatem: nimirùm asseuerare, impium edere realem carnem Christi, quod probatum, citauit hunc Cypriani locū de cœna Domini. *Sacramenta quidem quantum in se est, sine propria virtute esse non possunt, nec vllo modo diuina se absentat maiestas mysterijs.*

Vnde conclusit, impium edere carnē Christi.

Re-

Respondi, Cyprianus ipso eodem loco immediate subiunxit verba, quæ sensum ei⁹ mira perspicuitate illustrāt. Ait enim.

Sed quāuis ab indignis se sumi & cōtingi sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorū infidelitas vel indignitas tantæ sanctitudini cōtradicit.

Hæc verba enucleatè explicāt, Cyprianum longè abhorrere ab hoc sensu, Quod impij ederent carnem Christi. Quod hac ratione euincam.

Argumentum.

Nemo est particeps carnis Christi, nisi qui est particeps spiritus Christi (quia caro Christi à spiritu eius nequit diuelli) Idcircò qui spiritum Christi habet, Christum ipsum habet. Rom. 8. & 1. Corin. 13. Sed fidelis duntaxat est particeps spiritus Christi (ait enim Cyprianus, infidelis nòn est particeps spiritus Christi) nullus igitur infidelis est particeps carnis Christi. Cesare.

Ad quod argumentum (postq̄ conuenerat inter nos, spiritum, in hoc Cypriani loco, debere accipi pro spiritu &

gratia regeneráte) replicauit Decanus. *Infidelis nõ est particeps spiritus Christi ad regenerationem & salutem: sed tamen est particeps carnis & spiritus Christi ad condemnationem.*

Quia vt ait Cyprianus, diuina maiestas nullo modo se absentat mysterijs.

Ego autem contrà, asseuerabam fieri non posse, quin quicunq; particeps est carnis Christi, particeps est & spiritus Christi: & quicunq; particeps est carnis & spiritus Christi, in illo est & viuit Christus, inq; illo per spiritũ suũ sanctũ & gratiá regeneráté, virtuté suam exerit: vt liquidò testatur Paulus Ro. 8. *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum spiritus autem vita propter iustificationem.* Et iterum: *viuificabit mortalia corpora vestra propter ipsius spiritum inhabitantem in vobis.*

Igitur secundum hoc Decani argumentum, etiam qui Christi sũt, possunt condemnari. Nam Paulus disertè ait, *Qui non habet spiritum Christi, hic nõ est eius.* Vnde à cõtrario sensũ sequitur,

Qu

Qui habet ſpiritũ Chriſti, hic eſt eius. Si conſiſtit iam Decani aſſertio, Quòd impius ſit particeps ſpiritus Chriſti, ſanè impius iuxta Pauli ſententiam, erit Chriſti. Deinde quod addit non ad ſalutem, ſed ad condemnationem participem eſſe ſpiritus Chriſti, impium: ſine controuerſia, verum erit, & eum qui Chriſti eſt, poſſe condemnari.

Sed ad tempus diſceſſum eſt.

EGo verò ipſo eodem die dictam Decani aſſertionem, Quòd infidelis ſit particeps ſpiritus Chriſti, non ad regenerationem & ſalutem, ſed ad cõdemnationem, in carcere penitius mecum conſiderans & voluens: meditãdo reperi diuerſas rationes, quæ illam Decani aſſertionem funditus euertunt, & falſam eſſe conuincunt.

Primò, ſi ad dictos duos Pauli locos, quos ſuprà illi adduxi ex. 8. ca. ad Romanos, replicare velit, Cuicũq; Chriſtus ineſt ad ſalutem, illum regenerat, viuificat & ſeruat: ſed ineſt impijs nõ ad ſalutem, ideo eos non regenerat, viuificat, aut ſeruat. Reſpondeo, fieri nõ poſſe, q Chriſtus alicui inſit, quin eum

 rege-

regeneret & seruet. Quia vt Christus spiritu suo & gratia regenerante & seruante nunquàm vacat, ita idem spiritus & gratia, suam virtutẽ & efficaciam, cuicunq; Christus inest, nunquàm non operatur. Quod vel hoc argumento reddam adhuc magis perspicuũ. Quicquid cuiusq; rei maximè ꝓprium est, id à re ipsa separari nequit, nec vim suam & virtutem operari vnquam desinit: Maximè autẽ propriũ, est naturalis procliuitas & agendi facultas, quæ vni speciei soli & semper conuenit, ac quod retrò etiam vicissim cum ea commeat, & quæ vim & naturam eius ita explicat, vt vicissim de ea dicatur.

Axioma.

Proprium quid.

Argumentum.

Sorites.

Vnde sic ratiocinor: Maximè proprium est carni Christi non destitui suo spiritu & gratia regenerante & seruante: & maxime ꝓpriũ est spirit⁹ Christi cuicunq; insit, illum regenerare & seruare (vt animæ maximè proprium est se ipsam mouere, igitur semper viuit & non interit: ignis semper ardet, aqua semper madet): quicunq; igitur participat

cipat spiritũ Christi, Christum ipsum habet, qui spiritu suo eum regenerat & seruat: quia quod cuiusq; rei maxime proprium est, in ipsa re suam virtutẽ nunquàm non exercet & operatur: quicunq; autem regeneratur & seruatur, efficitur filius Dei, ac vitæ æternæ hæres. Ergo si impius vel infidelis participat carnem Christi, participat & spiritũ Christi: si perticipat spiritum Christi, tunc regeneratur, ac filius Dei & vitæ æternæ hæres euadit.

Argumentum

Sed infidelis non regeneratur, cùm autem ita sit, nec particeps est spiritus Christi (quia maximè proprium est spiritus Christi cuicunq; inest, eum regenerare & seruare) & propterea neq; particeps est carnis Christi (quia caro Christi à spiritu eius nequit auelli) ideóq; vita æterna qua Deus dignatur electos suos, destituitur. *Gradatio.*

QVod autem aiebas, Si fides recipientis sacramẽtũ, efficeret Christũ illi præsentem, & infidelitas impij efficeret Christum mysterijs absentẽ: tunc infidelitas impij plus valeret in arcẽdo

 Christo

Christo, quàm diuina virtus & efficacia in verbo Dei in illum præsentando: quod Cyprianus (dixisti) planè auersatur, Quum dicit.

Sacramenta quidem quantum in se est, sine propria virtute esse non possunt, nec vllo modo diuina se absentat maiestas mysterijs.

Respõdeo, Verum esse quod ait Cyprianus. Quia Christus quantum in se est, se ipsum præsentat, & offert ex æquo omnibus, in mysterijs: sed infidelitas vel indignitas impij efficit, quo minus sit capax & particeps Christi. Contrà verò fidelis quia accedit fide instructus, quod est opus inhabitantis in se spiritus sancti, ideò capax est Christi, qui se offert in mysterijs, ac eum verè & plenè recipit. Sic neq; fidelitas credentis facit Christũ præsentẽ, sed diuina virtus et efficacia in verbo Dei: neq; infidelitas impij Christum à mysterijs arcet sed quantum in se est, diuina maiestas ꝓmiscuè se offert vtrisq;. Verùm sicut fides credentis eum efficit idoneum et capacem, vt Christum verè et plenè recipiat; ita infidelitas incredu-

creduli, adeò reddit illum inidoneum et minus capacem, vt Christo planè destituatur.

VErùm enimvero, si verba Cypriani Paulò altius inspexerimus, eliciemus & aliud argumentum satis validum ad illam assertionem, infidelem participem esse spiritus Christi regenerantis & seruantis, euertendum.

Non possunt (ait Cyprianus) spiritus esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit.

En, hîc licet ex Cypriano intelligere, Quòd spiritus Christi participē esse: & infidelē aut indignū esse, sūt opposita priuātia, Vt Christus, diabolus: fidelitas, infidelitas: lux, tenebræ: vita, mors: quorum habitus, hoc est præsentia vnius, est priuatio, hoc est absentia alterius: ideòq; simul in vno subiecto inesse nō queunt. Quod idem Paulus adfirmat, quum ait, *Quod consortiū iustitiæ cū iniustitia? quæ cōmunio luci cū tenebris? aut quæ concordia Christo & Belial?* Idcircò infidelitas vel indignitas, quæ diabolū præsentem & inhabitantem habet, penitus priuatur Christo & sancto eius 2.Cor.6.

ſpiritu, quia oppoſita priuantia huiuſmodi ſũt naturæ, q̧ habitus, id eſt præſentia vnius, eſt priuatio, id eſt abſentia alterius: & proinde, ſimul in vno ſubiecto cõſiſtere nõ queunt. Perſpicuũ eſt igitur hãc aſſertionẽ, infidelẽ Participẽ eſſe ſpiritus ſancti, cuius maximè proprium eſt regenerare & ſeruare, eſſe merum commentum à veritate prorſus alienum.

Hæc mea argumenta & diſſolutiones, ſcriptis mandaui, ac magiſtro Mathæro Decano tradenda in carcere cõcredidi, expectans, Decanum ſcriptis ea diſſoluiſſe vel diluiſſe, ſed fruſtratus ſum. Siquidem poſt triduum, Decanus ipſe ad me accedens, in carcere argumenta mea citra omnem reſponſionem vel diſſolutionem reddidit.

Porro vbi (vt ſupra declaratum eſt) aſtruxerim, panem in ſacramento mutatum eſſe à cõmuni pane in ſymbolum & ſacramentum, quo Chriſtus arcano opere ſpiritus ſancti nobis ſpiritualiter exhibet ſuum corpus: & panem in ſacramento nihilominus manere, iuxta illud Auguſtini, tractatu ſuper

per Ioànnem, Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum. Cui replicabat Decanus, Tum substãtia vertitur in accidens, quia sacramentum, nihil est aliud quàm signum mysticũ, hoc est accidens tantũ, & corpus Christi est materia substãtialis sacramenti. Et hoc probatum, Decanus ante triduum, mihi misit in carcerem propria ipsius manu excriptũ, hunc Augustini locum de sentẽtijs Prosperi, distinctione. 2. *Hoc est quod dicimus, quod õnibus modis contendimus approbare, sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & innisibili Domini nostri Iesu Christi corpore & sanguine: sacramẽto, id est visibili sed mystico signo, & re sacramenti, id est corpore Christi.*

Sicq; conclusit, Si panis mutetur in symbolum & sacramentum, tum substantia vertitur in accidens, quia sacramentum nihil est quàm signum mysticum, hoc est accidens.

Ego autẽ supra id quod prius dixi de verbis Augustini, Accedit verbum ad elementum &c. Vt hac in re abũdãtius

tius ipsi satisfacerem, has rationes subsequentes ei in scriptis expediui.

Si adhuc contendas, signum nihil aliud esse quàm accidens sine substãtia: certè ipsius Christi substantiam extrudis. Quippe, *Dixit Angelus pastorib⁹ Euangelizo vobis gaudium magnum &c.*
Luce. 2. *Et hoc vobis signum, Inuenietis infantem pannis inuolutum positum in præsepi.* Sic Christus ipse signum fuit veritatis nũcij per Angelum delati: Idcircò si signum nihil sit quàm accidens: tũc Christus non est substantia, sed accidẽs dũtaxat & phantasma. Porrò Augustinus contra Adimantum Manichæum, de loco in Deute. vbi dicitur, *Anima est sanguis*, Ait Augustinus. *illud in signo esse positum*, ac si diceret, sanguinẽ esse signũ animæ latentis in corpore, & non ipsam animam. Igitur, si signum nihil sit præter accidens tantum, tunc sanguis non est substantia.

Has meas rationes, necnon tria argumenta hæc subsequentia, ex sanctis patribus: locũ Athanasij de verbis Euangelij: & vnum argumẽtũ ex scriptura, quæ omnia Christi præsentiam in

sacra-

ſacramento attingunt: ea qua ſequitur forma, ſcriptis mandaui.

Magiſtro Decano Norwicenſi.

Quoad verò realẽ & corporalẽ Chriſti præſentiam in ſacramento, ſcripturas, quæ illud negotium luculẽtiſſimè explicant (quia de illis inter nos tantoperè diſſidetur) prætermittens: hæc tibi ex ſanctis patribus quatuor oppono argumenta: quæ ſi mihi diluas, cum vno argumento illis ex ſcriptura adiecto: tùm quod ad realem Chriſti præſentiam in ſacramento attinet, in tuam ſententiam me iturum recipio.

Trium priorum patrum verba, præter maiores argumentorum meorum enunciationes (quia breuitati operam do) non recenſebo: ſed te ad ipſos authores (quos ſcio te nõ deficere) refero.

Ex didymo de ſpiritu ſancto. lib. primo. Hoc argumentum.

Quicquid creatum eſt, circumſcriptam habet ſubſtantiam, & non vbiq; diffunditur: ſed reale & glorificatum corpus Chriſti eſt creatum: ergo eſt circumſcriptum & non vbiq; cum diuinitate diffuſum. Sed tantũ in cœlo locum

Contra presentia Chri in Cœna

cũ occupat. Nam vt ait Auguſtinus ad Dardanũ: *Spacia locorũ tolle corporibus & nuſq̃ erũt, & ſi nuſq̃ erunt, nec erunt.*

2 Ex Cyrillo in dialogis de Trinitate lib. 2. Hoc argumentum.

Sorites. Corpus oĩno in loco eſt, & in magnitudine & in quãtitate: quod oĩno in loco eſt, & in magnitudine & in quãti tate, nõ effugit circũſcriptionẽ: quod nõ effugit circũſcriptionẽ, nõ eſt vbiq; diffuſũ, ſed vnũ tantũ locũ occupat. Ergo reale & glorificatũ corpꝰ Chriſti, in cœlis ad dexterã maieſtatis conſedit in excelſis, & non eſt vbiq; diffuſum.

Ex Vigilio lib. 4. contra Eutichen.

3 Hoc argumentum.

Chriſtus ſeruator noſter æternus Dei filius, Deus & homo, ex duabꝰ cõſtat naturis: deitate & humanitate. Quæ quidẽ naturæ, multa diuerſa habent & longè diſſimilia: vt vbiq; eſſe, & circumſcribi loco. Chriſti autem humanitas quæ vna natura eſt, contrariũ quid aut diuerſũ in ſe nõ recipit (Cõtrariũ eſt autẽ & longè diſſimile, circũſcribi loco, & vbiq; eſſe.) Q̃d cõtrariũ eſt aut diuerſũ (vt circũſcribi loco, & vbiq; eſſe) in ſe nõ recipit: oportet oĩno occu

pare locū & non vbiq; esse. Ergo reale corpus Christi in cœlo est, & nō vbiq; diffusū. Ex his patrib⁹ vetustioribus liquidò cōuincitur, Christū nō esse tam crassè realiter in sacramento præsentē, atq; vos adfirmatis. Illum tamē quodāmodo præsentem esse, nimirum vere & essentialiter, ipsumq; Christū Deū & hominem in symbolorum panis & vini distributione, omnib⁹ syncerè credentibus, verissimè & plenissime exhiberi: atq; hoc quidem pacto realiter & essentialiter, modo spirituali præsentem esse, inficias non eo, nec (Deo fauente) iturus sum vnquàm.

Porrò, vt quod de hac re sentiam ingenuè fatear, nunquàm mihi conspicuus fuit author quispiam, vel ex vetustioribus vel neotericis, qui satis mihi hac in re facit abundantius: quàm celeberrim⁹ ille Athanasius, perênni encomio euehendus. Cuius locum, quātumuis tibi in disceptatione nostra, prælegi: illum denuo scriptis tibi cōmemorare, me non pigebit.

Athanasius de verbis Euangelij, Quicunq; dixerit verbum aduersus filiū hominis.

Spiri-

Lib. 6.

Spiritus est qui viuificat, caro nõ ꝓdest quicquã: verba quæ ego locutus sũ vobis, spiritus & vita sunt. Et hîc quidẽ vtrunq; de se prædicauit, carnẽ et spiritũ, et carnẽ à spiritu distinxit, vt nõ tãtũ quod videbatur, sed hoc etiã quod in illo erat inuisibile credẽtes, discerẽt, ꝙ ea quoq; quæ loquebatur, non essent carnalia, sed spiritualia. Quot enim hominibus suffecisset corpus ad esum, vt hoc totius mũdi fieret alimentũ? Sed hac de causa meminit ascẽsionis in cælum filij hominis, vt corporalem cogitationem ab illis auelleret, & post hâc discerẽt, carnem de qua fuerat locutus cibum è supernis cælestem, spiritualem alimoniam ab ipso dari. Quæ enim dixi vobis inquit, spiritus sunt & vita. Quod idẽ valet, ac si diceret. Quod quidem ostenditur & datur ꝓ mundo, dabitur alimonia, vt spiritualiter hæc in vno quoq; digeratur, fiatq; omnibus conseruatorium ad resurrectionem vitæ æternæ. Sic & Samaritanam Dominus abstrahens á rebus sensibilibus, spiritũ appellauit Deum, ne postea corporaliter, sed spiritualiter cogitaret de Deo. Hęc Athanasius.

Hic Athanasius vt ab imaginatio-

ne

ne corporalis præsentiæ et esus carnis Christi nos auelleret: sciscitatur, quot hominibus suffecisset corpus ad esum, vt hoc totius mundi fieret alimẽtum? Et hui⁹ rei causa ait, Christũ meminisse ascensionis: in cœlum filij hominis, vt corporalem cogitationem ab illis auelleret. Sic quoq; ait, dñm abstraxisse Samaritanam à rebus sensibilibus, vt ne corporaliter, sed spiritualiter cogitaret de Deo. Quid multa? Adeò sunt Athanasij verba perspicua, contra crassam realem & corporalẽ carnis Christi præsentiam & esum in sacramẽto: vt illa luculẽtius explicare conari, est planè acta agere. Ait enim, carnem de qua Christus fuerat loquutus, cibum è supnis cœlestem spiritualem alimoniam ab ipso dari, &c. vt spiritualiter in vnoquoq; digeratur.

Et tamen sicut in baptismo, totũ Christum Deum & hominem induimus, ita Christum naturaliter in syncerè credentib⁹ habitare, nemo sanus negabit: non secus atq; adfirmat Hilarius, pater peruetustus. *Gal. 3.*

Hilarius de Trinitate. li. 8.

Interrogo, vtrum ne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam volũtatis. Si enim verè verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem in cibo Dominico sumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assupsit? & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis, sub sacramento cõmunicandæ carnis, admiscuit?

Hic liquidò adfirmat Hilarius, Nos verè verbum carnem in cibo Dominico sumere: & Christum naturaliter in nobis manere. Sed quo pacto hoc fit, nisi arcana operatione spiritus sancti? *Et vt ait Athanasius, Cibum è supernis cælestem spiritualem alimoniam ab ipso dari, vt spiritualiter in vno quoq; digeratur.*

Et huius patris eruditissimi iudicio, equidem lubentissimè assentior, propterea q, verbo Dei nititur: Ait enim Apostolus. 2. cor. 13. *Vos ipsos tentate, num sitis in fide. Vos ipsos probate. An non cognoscitis vos ipsos, q, Iesus Christus in vobis est? Nisi sicubi reprobi sitis.* Quòd idem

idem Apostolus identidem astruit, præsertim ad Ro. 8.

Argumentum ex scriptura.

QVi citra verbum Dei congregati sunt, Christo authore vacantes, eius præsentia neq; corporali neq; spirituali ad salutem fruuntur (Eatenus enim fideles Christum præsentem habent, quatenus illum authorem sequẽtes, sint in nomine eius congregati: iuxta illud, *Vbi sunt duo vel tres congregati in noĩe meo, ibi sũ in medio eorũ*) Sed citra verbum Dei congregati, Christo authore vacant, qui Missam celebrantes, omissa cõmunione, panem in aliũ finem consecrant, & alteram partem sacramenti à laicis subtrahunt. (Hoc enim à Christi institutione tam est remotum, vt res à Christo connexas distrahunt & auellunt, & Christo præcipienti, hoc facite, seipsos ex diametro opponunt) Igitur Christi præsentia, neq; corporali neq; spirituali ad salutẽ fruuntur. Math. 18.

Probatio minoris.

Facere quod Christus fecit & non facere; hoc est coĩcare & non commu-

nicare: vel ſub vtraq; ſpecie, & non ſub vtraq; ſpecie: ſunt oppoſita contradicentia, quorum alterum ait, alterum negat: & poſito vno, alterum tollitur. Idcirco Paulus, accuratè proſpiciẽs, ne irrepens impoſtura imponeret incautis: anxiè præmonuit Coloſſenſes, *Vt quemadmodum acciperent Chriſtũ Ieſum, ita in eo ambularent, ſic vt radices haberẽt in illo fixas, & in illo ſupſtruerentur cõfirmarenturq; per fidem, ſicut edocti erant.*

Col. 2.

Hinc perſpicuê admonemur, à doctrina Chriſti & Apoſtolorum non eſſe deſciſcendum, ſed in ea conſtanter ſicut edocti ſumus recumbendum: quã quicunq; tenuerit, ab omni hallucinatione tutus euadet. Qui vero huic fulturę non fuerit innixus, errabundus fluctuat, & fidei ſuæ firmamẽto vacat.

Has meas rationes in ſcriptis Decano tradidiſſem: ſed videns, illũ nolle reſpondere duobus alijs argumentis meis de oppoſitis & priuantibus: quæ illi per magiſtrum Mathęrum in ſcriptis tranſmiſeram: ſuperuacaneum fore rebar, illi plura argumenta in ſcriptis tradere, quum defugeret reſpondere.

Hac-

Hactenus vobis explicans, quid inter me & antagonistas, tum verbis tú scriptis, actum est: tandem huius tragœdiæ exitum quoq; patefaciam.

Cum Decanus vt (audistis) mihi respondere refugeret, hanc assertioné mihi obtulerunt subscribendam.

Credo & confiteor, panem & vinum, omnipotentia verbi diuini ex ore sacerdotis prolati, in verum corpus Christi & verum eius sanguiné mutari, & eadem post consecrationem, verè & essẽtialiter sub speciebus panis & vini cõtineri, nullamq; aliã in eucharistia substantiam, quàm ipsius corporis & sanguinis Christi remanere. Assertio. Papistarũ

Huic papisticæ assertioni, quum ego semel & iterum, atq; terciò subscribere abnegauerim: tum de meo capite agũtur comitia. Sic inter sacrum & saxum (quod aiunt) biduò constitutus. Perendie magister *Mathærus*, in carcerem his verbis me aggressus est: Nisi subscripseris, inquit, omnino actũ est de te.

HIc ego ad hunc modum admonitus, de forma aliqua subscriptionis quæ cum confessione veritatis nõ pugnaret

gnaret, ſed cum habita diſputatione pulchrè conſentiret, cœpi cogitare: & vbi paululùm meditatus fuiſſem, Mathæro reſpondi: me ex parte velle ipſius votis, nō autem ſimpliciter ſatisfacere. Id verò ita reſpondi, non quòd ſperarem ſic me poſſe è cruentis Cainicæ gentis manibus elabi (quomodo enim id potuiſſem, cùm illi ipſi qui vrgebant ſubſcriptionem, ſcirent ex diſputatione vltrò citròq; inter nos habita, quæ eſſet mea ſententia?) ſed vt poſtulationi aliquo modo fieret ſatis.

Subſcriptio fuit huiuſmodi.

Hisceátenus aſſentior, quatenus verbo Dei nituntur, eóq; ſenſu quo ſunt ab Eccleſia catholica, & ſanctis patribus intellecta.

Per me Robertum watſonum.

Subſcripſi inquam, non vt Barœti aliorumq; eius complicum ſententiæ, aliquid me velle deferre ſignificarem (hoc enim ſatis euidenter ex diſputatine noſtra, vbi ad Cypriani & Ambroſij ſententiam reſpondi, innotuerat) ſed vt orthodoxis patribus, qui tamen interim interſperſas ſuas habēt paleas, ſuū

defer

deferrem honorem. Cur enim eorum sentẽtijs non subscriberem, quos nõ à papistis sed à me stare probaueram. At quo minus inuoluta fuit mea subscriptio, eo magis miror quòd à Barœto ad episcopum delata, sub his testibus fuerit admissa.

Ioânne Christofersono Decano Ecclesiæ Cathedralis Norwiceñ.

Milone Spẽsero Archidiacono Sutburiæ.

Ioanne Barœto sacræ theologiæ professore.

Thoma pecocko præbendario Ecclesiæ cathedralis Norwiceñ

Alexandro Mathero.

HAnc itaq; meam subscriptionem, nihil credidi habere fuci aut impietatis, nihilve Petrinæ abnegationis, vt ne nũc quidem, nisi me prorsus fallat iudicij infirmitas, credere debeo. Tamen admonitus à quibusdam bonis & pijs fratribus, vt occurrerem antagonistarum meorum, hoc est, papistarum calumnijs ac mendacijs, quos nunc sub mea absentia dicere, certò comperi (vt mox audietis. me ipsorum

subsctipsisse errori) volui hanc meam Ætiologiam etiam tanquàm apologiã in lucem prodire, ne suis mẽdacijs sub nominis mei fuco alijs imponerent.

En habetis cõsiliũ æditionis huius Ætiologiæ meę: videtisq; eius ędendæ ingentem, quę me presserit necessitatẽ. Nunc quid porrò acciderit, accipite.

CVm ita vt modò audiuistis, subscripsissem, tamen non dimittor, sed adhuc in carcere detineor, liberationis meæ penitus incertus. Post autẽ quinq; hebdomadas, percrebrescente rumore, Reginã in nixu insigniter de vita periclitari, aut penitus è viuis excessisse, accersitus coram pontifice dimissus sum.

Sed simul ac hostes Euangelij, me cernebant in plateis, mei iuris incedẽtem: Deum immortalem, quãto liuore turgebant? quantopere mihi indignati sunt meam sine ignominia expeditionem? Inquientes, En hæreticus iste, quomodo dimissus est, sine pœnitẽtia, sine palinodia: sed non opinetur (inquiunt) se ita euasurum.

Porrò & famuli epi, mihi acriter inter

interminati sunt, dicentes: Gestit nũc watsonus, sed certo sibi certius persuadeat, Si regina feliciter fuerit prolem enixa, onere suo se ita non leuauerit: sed grauius quiddam experietur. Hoc cùm me per amicos non lateret, cernẽs hostium Christi vesaniam in me tantopere conflatam: nihil mihi consultius fore rebar, quàm vt celeri fuga vitæ meæ consulerem.

Sed ecce adhuc anguis in herba. Nam sexto deinde die, Norwico proficiscens Catabrigiam: filium meum inuisurus, circiter sex milliaria à Norwico, yongum illum hostem Christi vesanum satis & petulantem, Norwicũ versus, illic concionaturum forte fortuna obuium habui: sed obtecta facie incognitus hostem præterij. Ille vero Norwicum appellens, illicò episcopum aggressus est: cui cùm epus meam subscriptionẽ ostendisset (proh nefas) quàm vehementer yongo displicuit, q̃ nõ fuerit simplex, sed ex parte & quodam modo. Tum epus haud mediocri pœnitẽtia ductus, è vestigio amandauit, qui me obseruatum excu-

excubarent, opinans me Norwicẽſem vrbem non dum fuiſſe egreſſum, policens quadraginta coronatos aureos ſe donaturum ei, qui me quiuiſſet apprehendere.

Porrò hoſtes Chriſti & æterni eius Euangelij (vulgò Anglicè nuncupati, Codde and Marſhã, Aldermen of Norwiche) meam expeditionem incolumẽ ęgerrimè ferentes, & auidiſſimè ſitientes Chriſtianũ ſanguinẽ, miris technis ſub amicitię fuco, ſynceros amicos meos blandiloquẽtia adorti ſunt, vt quoquo pacto ſi fieri potuiſſet, vel nefarijs artibus me nanciſcerẽtur. At quid plura? Domino exercituum aliquid conſtituente, quis ipſum faciet irritum? Is mihi effugium ſuppeditauit & ego elapſus ſum.

Ieſa.

SEd yongus indignè ferens, chariſſimũ patrem ſuum Romanum Antichriſtum, à me hæretico vt ipſi libet, tantoperè ludificatum: & eius cauſam vlciſcendi percupidus, hoc nomine de me pœnas ſumere molitus eſt.

Pro publica contione die lunæ poſt diſceſſum meum, in templo diui Petri

Nor

Norwicensis in foro sito, meam subscriptionē, vt in veritate se habuit, cōtioni prælegit. Sed non ignarus Domini ac patris sui Antichristi regnum, Luciferi ductu mendacijs inchoatum, oportere mendacijs suffultum iri, atq; prouehi: vt est Satanæ auspicijs satis militariter ad mendacia instructus, hoc pacto me insectatus, eruditè (si dijs placet) nebulas diuerberat.

Vbi subscriptionem meam perlegerit, illicò adiecit: Hæc est watsoni palinodia, sed amici eius aiunt, illum palinodiam non cecinisse: at re verà est calculi reductio: quod vel hoc argumento vobis probauero. Sic enim subscripsit,

His eátenus assentior, quatenus verbo Dei nitũtur, eòque, sensu quo sũt ab ecclesia catholica et sanctis patribus intellecta. Sed cui subscripsit assertio, verbo dei nititur ac sensui sanctorum patrum et catholicæ ecclesiæ (quæ quidem assertio catholica, doctrinam eius, quam hactenus de Sacramento edocuit, planè euertit) Ergò sua subscriptio, haud dubiè est calculi reductio.

Sed

SEd ausculta yonge paulisper. Nō aduertis iaculū, quod infenso Marte in me es eiaculatus, cuspidem haud acuminatam & plane retusam habere? Nū adeò nunc stupes recens Doctor? Adeò te superauit sophistes, Satanæ proles, vt te penitus fugit dialectica? Non expendis, telum quo me absentem satis ignauiter feriebas: æquè mihi accommodatum esse, vt te illo vicissim impetam? Ignoras argumentum tuum esse reciprocum, et proinde facilè posse reflecti? Excipe igitur tuum telum hoc pacto in te retortum.

Neq; transubstantiatio panis in sacramēto: neq; crassa vestra realis Christi præsentia in sacramēto, nititur verbo Dei, nec sensui sanctorum patrum, nec catholicæ Ecclesiæ: Ergo mea subscriptio non est calculi reductio, quia illis eatenus subscripsi, quatenus verbo Dei nituntur, eóq; sensu, quo sunt ab Ecclesia catholica & sanctis patribus intellecta.

Quomodo nunc tibi arridet argumenti tui reflectio? Consule dialecticos (si te dialectica fugit) & percontare

re

re, quid iam per meam ſubſcriptionem es nactus, quod antea non fueras conſequutus? Nūquid æquè mihi permittitur (non obſtante ſubſcriptione mea) vt ego minorem enunciationem tuam inficier, atq; tu aſſeueres? Sed ita obcæcat ſophiſtes papiſtarum ſenſus: tanta eſt tua ſine vino temulentia.

Porrò, putas me vos papiſtas, qui ſynagoga Satanæ eſtis (vt priuſquàm ad huius libelli mei calcem vētum fuerit, ex vetuſtiſſimorum orthodoxorum patrum ſcriptis, diuino ductu, luculenter euincam) pro catholica Chriſti Eccleſia, columna & firmamento veritatis, aduerſus quam inferorū portas nō præualituras ſeruator noſter Ieſus deprædicauit, reputare? Magnoperè profectò hallucinaris: non ſum tam ſcripturarum ignarus (Deo gratia) nec ſani iudicij expers, vt tā perperā iudicem.

Sed nunc yonge, quum ſim mei iuris (niſi gallus in proprio ſterquilinio fueris) mihi opponenti reſponde: Ego carcerem perpeſſus, diuina ope ſuffultus, commilitonibus tuis Barœto & Chriſtoferſono, reſponſorem me præ-

bui, & si tu tui iuris, mihi respondêre refugeris, profectò de cõmuni vestra iniquitate iustè querar.

Et quoniam non cum te solo, mihi de æterna Christi seruatoris mei veritate certamen incumbit: sed cum Gardinero quoq;, adulterino wintoniensi episcopo, qui tam audacter continuè contra Christum proteruit, perinde ac si cum hominibus fuisset sibi negotiũ: qui tam crudeliter & iniquè me coram regio consessu tractauit, vt nec respõdere nec legere permisit: quem nunc tentabo, an per aliquem sacrilegum sacrificum, mihi respondere velit. Non enim illum respondentem expecto, quem in Reuerendissimi iuxtà ac eruditisimi patris Thomæ Cranmæri Cãtuariensis Archiepiscopi, totius Angliȩ primatis & Metropolitani, domini mei benignissimi, Sarta tecta de sacramento: tam insolenter & insitè, ad ꝑpetuam sui ipsius ignominiam, inuectum esse non puduit. Quo enim pacto me tenuissimæ sortis homunculum, respõsione sua dignaretur, quẽ Minerua adeò omnes artes edocuit, vt quicquid

quid vult, sanctum est? Sed sacrilego sacrifico cuipiam fortassis (quorum plures sat scio, ex suo nutu pendentes habet) hanc prouintiam committet.

Doctori Tonstallo etiã Dures. episcopo, aliquot argumenta, ab authoritabus orthodoxorum patrum, quas ipsemet adduxit, ad muniẽdum papismũ, transubstantiationem, & fœdissimam Antichristi synagogam, catholicæ Ecclesiæ nomine insignitam, in libello quem nup edidit de veritate corporis & sanguinis Christi in eucharistia, cõtra Tigurinos (quos turpissimè in libello illo, quasi inficiarentur Christi præsentiam in sacramento, calumniatus est.) opponam: Vt oportunitate nacta, quando velit, mihi respondeat.

Barœtum quoq;, qui me Ecclesiæ catholicæ authoritatis fuco, ad vomitũ suum, papismum videlicet, secũ ptrahere, omnibus admotis machinis molitus est: vt argumentis quæ illi ex ipsorum orthodoxorum patrum scriptis, quæ mihi in epistola sua allegauit, promiscuè cum alijs opponam, præstolabor, vt respondeat.

Sem

Semper me tales insequantur hostes, quales sũt Tonstallus & Barœtus: qui tam ægregiè cuiuis pedi eundem calçem induunt, vt p se adducta testimonia, se ipsos funditus euertunt.

ARgumenta ex orthodoxorũ patrum scriptis, per D. Tonstallũ in dicto libello suo adductis, vt transubstantiationem panis in sacramento probet: quæ ipsi retroflexa, illam penitus cõuellunt.

Augustinus homel. 26.

August. *Ideo quanta solicitudine obseruamus, quãdo nobis corpus Christi ministratur, vt nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat: tanta solicitudine obseruemus, ne verbum Dei quod nobis erogatur, dum aliquid cogitamus aut loquimur, de corpore nostro pereat. Quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Christi in terram cadere, necligentia sua permiserit.*

Vnde hoc argumentum.

Barbara. Quod hominis negligentia cadere potest in terram, non est naturale aut

reale

reale corpus Christi (quia naturale & reale corpus Christi, cũ adhuc in terris versaretur mortale, nõ fuit ita hominũ negligẽtiæ obnoxium, vt hominũ incuria humi decidat: multo igitur minus nũc glorificatum): Sed sacramentum, hominis negligentia in terrã cadere potest: Ergo sacramẽtum, non est reale & naturale corpus Christi. Sed ꝑ metonymiam sic appellatum, propter analogiam & conuenientiam inter sacramentum & rem sacramenti: sicut Apostolus Baptismum nostrum sepulturam cum Christo vocat: & vt ipse idẽ Augustinus ad Bonifa. attestatus est.

Theophilus Alexãdrinus episcopus. li. 1. de paschali enumerãs nonnullas Origenis impietates. *Theophilus.*

Ad aliam eius veniamus impietatẽ, dicit enim, spiritũ sanctum nõ operari ea quæ inanimata sunt, nec ad irrationabilia peruenire. Quod asserens, non recogitat aquas in baptismate mysticas aduentu sancti spiritus consecrari, panemq; Dominicum in quo saluatoris corpus ostenditur, & quem frangimus

in ſanctificationem noſtri, & ſacrum calicem, qui in menſa Eccleſiæ collocatur, & vtiq; inanimata ſunt, per inuocationem & aduentum ſancti ſpiritus, ſanctificari,

Vnde hoc Argumentum.

Quod inanimatum eſt, non eſt reale & naturale corpus Chriſti: Sed panis Dominicus in quo ſaluatoris corpus oſtenditur, & quem frangimus in ſanctificationem noſtri (hoc eſt ſacramentum) eſt inanimatum, & per inuocationem & aduentum ſancti ſpiritus ſanctificatur (hoc eſt, ex elemēto fit ſacramētum & ſymbolum, quo Chriſtus ſpiritualiter & verè exhibet fidelibus ſuum corpus): Ergo non eſt reale & naturale corpus Chriſti.

Non poſſunt papiſtæ hîc effugere, dicendo, Theophilus loquitur de pane ante conſecrationem, cùm adhuc non ſit ſacramētum: quia in pane ante cō-ſecrationem, corpus ſaluatoris non oſtenditur: neq; panem ante conſecrationem frangimus in ſanctificationem noſtri. Ergo Theophilus planè loquitur de ſacramento; & vno verbo con-

nectens

nectens baptiſmum, & panem Dominicum, ait, inanimata ſunt.

Ex Theodoreto Dialog. 2. *Theodoretus.*

Hoc Argumentum.

Signum myſticum (hoc eſt ſacramentum) poſt ſanctificationem, non recedit à ſua natura, manet enim in priori ſubſtantia, figura & forma: Ergo panis non tranſubſtantiatur, ſed prior eius ſubſtántia manet, vt ante conſecrationem fuit.

*D*amaſcenus li. 4. ca. 14. *Damaſcenus.*

Carbonem vidit Ieſaias. *C*arbo autē ſimplex non eſt, ſed vnitus igni: ſic panis cōmunionis, nō eſt panis ſimplex, ſed vnitus diuinitati. Et corpus vnitum diuinitati, non vna ac eadem illi natura eſt: ſed vna corporis, vnitæ diuinitatis altera. Quare amborū ſimul, non vna natura eſt, ſed duæ.

*Q*uis hic non videt, ſenſum Damaſceni eſſe, Sacramentum conſtare ex elemento panis, & inuiſibili diuinitate vnita, ſiue infuſa, vt ait Cyprianus? Et ſicut carbo, quem vidit *I*eſaias, non fuit carbo ſimplex, ſed vnitus igni: Ita panis cōmunionis non eſt panis ſimplex

plex, ſed vnitus diuinitati? Et ſicut corpus vnitum diuinitati, non vna ac eadem illi natura eſt, ſed vna corporis, vnitæ diuinitatis altera: ita ſacramentũ ex duabus conſtat naturis, nimirũ, elemento panis, & diuina eſſentia?

Ambroſius in Epiſtolam ad Hebręos. cap. v.

Ambroſius. Hunc locum adductum per doctorem Tonſtallum, ego citaui in reſponſione mea ad Decanum: Precium igitur operæ non eſt, vt illum hîc denuo repetam. Sed luculentè illic adfirmat Ambroſius, mentem humanam concipere viuificam ſubſtantiam atq; ſalutarem, in pane & vino.

At vbi Ambroſius panem & vinum in ſacramento notanter adfirmat: Papiſtæ contrà, panem & vinum planè extrudunt.

Euagrius in Eccleſiaſtica hiſtoria. lib. 4. Ca. 36.

Euagrius. Conſuetudo vetus obtinuit, quando multum ſanctarũ partium immaculati corporis Chriſti Dei noſtri remãſerit, vt pueri tenelli qui ad ludi magiſtros ire ſolebãt, aliqui vocarentur quĩ

cas

eas commederent.

Hîc quis non videt sacramentũ vocari immaculatum corpus Christi Dei nostri per metonymiam, vt sæpius iã astruxi. Putabim⁹ enim sanctos patres in ipsius ecclesiæ incunabulis, tam vili æstimasse immaculatum reale & naturale Christi corpus, vt tenellis pueris (profano quidem & non sacramentali modo) illud commedendum porrigerent? Metonymicôs ergo sacramentũ vocatur corpus Christi, propter analogiam & conuenientiam.

Quàm igitur retunditur papistarũ acumen, q̄ tam luculenta & perspicua testimonia contra se, pro se adducunt? vt suo ipsorum gladio cõfossi nõ euadant, sed planè iugulati succumbant. Sed sic humanam sapientiam sæpenumero infatuat Deus, vt cùm se crederent esse sapiẽtes, stulti facti sunt: ipsi honor & gloria in secula.

ARgumẽta ex orthodoxorũ patrũ testimonijs p̄ D. Tonstallũ & D. Barœtum adductis, vt probent Papistas Ecclesiam esse catholicam: quæ in ipsos retroflexa, papistas pla

nè conuincunt esse Satanæ synagogam.

Ireneus. Ireneus li. 3. Cap. 4.

Si de aliqua quæstione disputatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de pręsenti quęstione sumere quod rectum & re liquidũ est? Quid autem si neq; Apostoli reliquissent nobis Ecclesias, nõne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt ijs quibus committebant ecclesias, cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorũ qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes ꝑ spiritum in cordibus suis salutem?

Vnde hoc Argumentum.

Camestres. Ecclesia quæ in omni controuersia vel disputatione recurrit ad antiquissimas Ecclesias in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis sumit, quod de re controuersa liquidum est, vel ordinem sequitur traditionis, quam tradiderunt Apostoli ijs quibus committebant ecclesias, sola catholica Christi Ecclesia est: Sed Papistæ in cõtrouersia de quę-

ſtionibus quas articuli mei cōplectuntur, aut de aliquibus alijs, ad huiuſmodi antiquiſſimas eccleſias non recurrunt, ſed ad humanitus excogitata cōmenta, & ad bonā (vt vocant) intentionem confugiunt, ſicut Nadab, Abihu & Saul, & plures alij impij: & ad decreta pontificia, noua & impia concilia, quæ contra ſacroſanctum Dei verbum, ſe extulerunt: Ergo Papiſtę non ſunt catholica Chriſti Eccleſia, ſed ſatanæ ſynagoga: quia inter catholicam Chriſti Eccleſiā, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, & ſynagogam ſatanæ, nullū eſt medium.

Hieronimus aduerſus luciferianos. *Hieronimus.*

*I*n illa Eccleſia permanendum eſt, quæ ab Apoſtolis fūdata, vſq; ad diem hanc durat. Sicubi audieritis eos, qui dicuntur Chriſti, non à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quoquam alio nūcupari: vt puta Martionitas, Valentinianos, Montenſes ſiue Campates, ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam.

Vnde hoc Argumentum.

Hic aduertendum, q́ Hieronimus

 qui

qui floruit circa annum .450.
à Christo passo, aiebat. In illa Ecclesia permanendum esse, quæ ab Apostolis fundata, ad illá vsq; diem durauit, q.q; qui nuncupantur Christi non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio, nō sūt Ecclesia Christi, sed Antichristi synagoga.

Papistæ autem non manent in Ecclesia quæ ab Apostolis fundata durauit .450. annos post Christum passū, nec nuncupātur Christi à Christo (qui purissimam eius doctrinam & sacrosancta instituta non sequuntur, vt in ꝓbatione articulorum meorum satis liquidò demōstraui: Sed Papæ doctrinā & instituta, qui se ex diametro opponit Christo, āplectuntur): idcircò papistæ catholica Christi Ecclesia non sūt, sed Antichristi synagoga.

Augustinus Contra Cresconium.

August. Cum hoc facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat authoritas, vt quum sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiā

de

de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta ſcriptura demonſtrat.

Vnde hoc Argumentum.

Sola illa Eccleſia eſt conſulenda vt catholica, quam ſancta ſcriptura, ſine vlla ambiguitate conſulendam demõſtrat: Sed ſancta ſcriptura illam ſolam Eccleſiam vt catholicam, ſine ambiguitate conſulendam demonſtrat, quæ docendi munus & inſtituta quæ Chriſtus penes eam depoſuit, retinet: Papiſtarum autem *E*ccleſia, hoc docendi munus & illa inſtituta (vt in probatione articulorũ meorũ luculentè demõſtratum eſt) non retinet: igitur papiſtarum Eccleſia non eſt conſulenda vt catholica Chriſti Eccleſia, ſed planè reijcienda, vt ſatanæ ſynagoga. *Sorites.*

*L*irinenſis, aduerſus profanas hæreſum nouitates.

In ipſa catholica Eccleſia magnopere curãdum eſt, vt id teneamus, quod vbiq;, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt enim verè ꝓpriè catholicum (quod ipſa vis nominis ratione declarat) quę omnia verè vniuerſaliter comprehendit. Sed hoc ita de- *Lirinen.*

mum ſit, ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionē. Sequemur enim vniueſitatem hoc modo, Si hanc vnam fidem veram eſſe fatemur, quam tota per orbem terrarum fatetur Eccleſia: antiquitatem verò ita, Si ab his ſenſibus nullàtenus recedam⁹, quos ſanctos maiores ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: conſentionem quoq; itidem, ſi in ipſa vetuſtate oīm, vel certè penè omnium ſacerdotū pariter & magiſtrorum definitiones ſententiaſq; ſectemur.

Vnde hoc Argumentum.

Cameſtres Lirinenſis qui hoc ſcripſit ante mille annos, verè & propriè catholicū eſſe dixit, quod vbiq;, quod ſemper, quod ab omnibus tunc creditū fuit: Sed papiſtæ non ſequuntur quod vbiq; quod ſemper, quod ab omnibus ante mille annos creditum fuit, imò doctrinam et inſtituta Chriſti reijcientes, ſequūtur Papę traditiones, doctrinę & inſtitutis Chriſti planè aduerſas (vt in probatione articulorum meorum ſatis abundè conuincitur) Papiſtæ igitur non ſunt catholica Chriſti eccleſia, ſed Satanæ ſynæ-

synagoga.

Aliud argumentum ex eodem Lirinensi.

Catholica Ecclesia est, quæ eam fidē veram esse fatetur, quam tota per orbē terrarum Ecclesia mille retrò annis confitebatur, & nullá tenus recedit ab his sensibus, quos sanctos patres ante mille annos celebrasse manifestum est: Sed papistæ non fatentur illam fidem, quam tota per orbem terrarum Ecclesia, mille retro annis veram esse fatebatur: porrò recedunt à sensibus & vetustate sanctorum patrum, qui ante mille annos scripserunt, & sequūtur sceleratissimum Papam Nicholaum secundum, qui blasphemam & idololatram eorum transubstantiationem elementorum in sacramento, satanæ ductu, primo inuexit circa quingentos annos elapsos, ac Berengarium coegit canere palinodiā: Et impium Innocētium tercium, qui decretum de transubstantiatione, quod nefandam Idolomanian induxit, & sacrosanctum Christi institutum extrusit, anno a natali Christi. 1215. instituit, aliosq; papas

Camestres

sla-

flagitiosissimos, qui purissimam Christi doctrinam ac sacrosancta eius instituta extrudentes, fœdissimas suas traditiones adorandas prostituerunt: Ergo papistæ non sunt catholica Christi Ecclesia, sed satanæ synagoga.

Lactantius Firmianus li. institutionum. 5. ca. 30.

Lactantius

Sola catholica Ecclesia est, quæ verum Dei cultum retinet, hic fōs est veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei: quo si quis non introierit, vel a quo si quis exiuerit, à spe vitæ & salutis æternæ alienus est.

Vnde hoc Argumentum.

Sorites.

Verus Dei cultus, aliunde quam à verbo eius non est inquirendus (sicut in probatione articulorum meorum abundè satis demonstraui): quæcunq; autem Ecclesia, verum Dei cultum à verbo eius quæsitum non retinet, catholica Christi Ecclesia nō est: Sed Papistæ, hunc verum Dei cultum non retinent, imo deserto Christo fōte aquarum perennium, effoderunt sibi puteos pertusos, qui aquas continere non valent, nempe spurcissima sceleratorum

Ier. 2.

ho-

63.

hominũ præcepta & traditiones (vt in probatione articulorum meorum, ſatis luculenter eſt oſtenſum): Ergo papiſtæ non ſunt catholica Chriſti Eccleſia, ſed ſatanę ſynagoga, & proinde vt ait *Lactãtius*, à ſpe vitæ & ſalutis ęternę alieni ſunt, Niſi reſipuerint.

*P*orrò vbi Tonſtallus teſtimonium adfert Auguſtini, in epiſtola contra Manichęum ca. 5.

Ego vero Euangelio nõ crederem, niſi me Eccleſiæ catholicæ commoueret authoritas. Quibus ergo obtemperaui dicentibus, credite Euangelio, cur eis non obtemperem dicentibus, noli credere manichæo? August.

Ex qua Auguſtini authoritate hanc infert Tonſtallus conſecutionem, Nos debere amplecti quicquid Eccleſia catholica nobis proponat, (quam Eccleſiã catholicam, ipſe Tonſtallus papam & eius ſatellitium, epiſcopos & ſacrilegos ſacrificos, intelligit) Quis hîc non videt quam inſcitè conantur papiſtę, eodem collyrio mederi omnibus? Nam citra omnẽ delectum vel obſeruationẽ circumſtantiarum, hoc Aug. teſtimoniũ ad eorum nequitias muniẽdas detorquent

quent. Sed quàm hebescunt papistę, vt opinentur homines esse tam circumstantiarum negligentes, quòd non aduertant verba Aug. debere referri ad eam vniuersalem Ecclesiam, quæ tum erat quando hoc scripsit, nimirum circa 400. annū ab incarnato Christo? Cū videlicet satanas, Romanum pontificem nondum ad tantū fastigium euexisset, vt œcumenicus totius Ecclesiæ Christianæ diceretur episcopus: sed cū sacramenta iuxta diuinam institutionē adhuc manerēt integra: & cùm ea doctrina ac religio quā Apostoli a Christo, sancti patres ab Apostolis acceperant, eius ætatis hominibus, Ecclesiam catholicam quæ esset, tàm notanter & perspicuè demōstrauit, quàm lapis lydius solet indicare aurum. Siquidem Gregorius primus Romanus pontifex, qui ducentis annis recentior est Augustino, illā insolētiam, videlicet œcumenicū dici epm totius Ecclesiæ Christianæ, publico scripto reprehendit.

Sed quod hunc Augustini locum attinet, Redigant se antistites & Ecclesiæ proceres, ad eum statum, quo fuit

Ec-

Ecclesia quando hoc scripsit Aug: & donabimus eis, q; sint Ecclesia catholica: Alioqui ex ipsius Aug. testimonio contra Cresconium, quod supra citaui: sunt planè synagoga satanæ:

Quare, sicut dixit Augustinus, *Quibus obtempero dicentibus, credite Euangelio: cur eis non obtemperem dicentibus, Noli credere Manichæo?* Sic et ego ad ipsius Augustini exemplum, papistis nũc dicere cogor, de eisdem primitiuæ ecclesiæ patribus, Quib⁹ obtempero dicent ibus, Credite Euangelio: cur eis nõ obte mperem, dicentibus, Noli credere papistis: qui in cathedra Mosis non sedent, nec Euangelio nituntur: sed contra Deum et Christum eius, et contra catholicam Christi Ecclesiam quæ antecessit Augustinum, tam insolenter decernunt.

SEd vndenam hæc papistarum audacia, vt contra Deum et Christum eius tam impias leges condant? nisi ex verbis Christi, quæ dixit Petro, falsè intellectis.

Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & Matth. 16

portæ

portæ inferorum non præualebunt illi. Et dabo tibi claues regni cœlorum. & quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cœlis, & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis.

Hæc sunt verba quæ Romanus Antichristus tam miserrimè exagitat ac detorquet, vt (occasione inde perperā sumpta) sacrilegas suas leges condiderit, quibus se contra deum & Christū eius tantoperè extulit: *E*x quo tamen loco, si simpliciter & ingenuè fuerit excussus, luce ipsa clarius patefieret, hanc soluendi & ligandi potestatem, duntaxat muneri docendi & prædicandi Euangelium, coniunctam esse: nec tam esse potestatem quàm ministerium, si ad hominis functionem respiciatur: nec tam homini quàm virtuti & efficaciæ verbi Dei esse concessam, cuius ministerium hominibus committitur: Neq; hîc vllius hominis personam voluit Dominus euehere, sed Euangelij sui dignitatem.

Idcircò ne vnum quidem iota aut apicem hîc reperit inimicus ille, ad suā petulantiam muniendam: sed contra

soli-

ſolidiſſimum hic reperitur teſtimoniũ, quod eũ inſolentiæ, ſacrilegij, & blaſphemiæ cõuincit. Siquidem claues regni cœlorum, ac ligandi & ſoluendi poteſtas: non ſunt cuiuſpiam hominis perſonę, ſed Euãgelico muneri & functioni commiſſæ atq; coniunctæ.

Nam ſi cuiuſpiam hominis perſonæ, aliqua poteſtas et eminentia fuiſſet commiſſa, quæ continua ſucceſſionis ſerie ad eius poſteros perueniret: quomodo tantũ temporis interuallũ, nimirum quingenti anni & plures, a Chriſti aſcenſione, & ab ipſius Eccleſię naſcentis primordio prius tranſuolaſſent: quàm Romanus Epiſcopus hanc authoritatẽ & eminentiam vſurpauerit, & ſibi a Petro ſucceſſionẽ vendicauerit, vt totius Eccleſię Chriſtianæ œcumenicus ſit epiſcopus?

Quis igitur animo ſimplici non aduertit quanta ſit eius contra Chriſtũ petulantia, vt ex verbo Dei hanc ſibi arroget authoritatem & prĕeminentiam, quę ſibi ex mero homine cõceſſa eſt?

Nam circa annum à nato Chriſto

1 570.

576. orta contẽtione de primatu, Mauricius Cæsar voluit vt patriarcha Constantinopolitanus, œcumenicus siue vniuersalis totius Ecclesiæ Christianæ diceretur episcopus. Verum Gregorius primus, tum Romanus episcopus, tantam insolentiam indignè ferens, id suo adsẽsu comprobare noluit: sed scripsit, Neminem sibi arrogare debere, vt inter Christianos, episcopus vniuersalis velit nominari.

Pòst autem circa annũ Christi. 604. Bonifacius tercius, magna contentione obtinuit à Foca Cæsare, vt sanciretur Romanus pontifex œcumenicus & sũmus totius ecclesiæ Christianæ episcopus: à quo tempore non destiterunt Romani pontifices insolescere & proteruire contra Christum, ac dignitatem suam augere.

Adeò, vt vbi Cæsar, iure debuit Romanum pontificem confirmare, sicut Stephanus quartus papa circa annum Christi. 815. confirmationem pontificatus sui, petiit a Cæsare Lodowico. NB. Paulo pòst (imperatoribus sic ab Antichristo se ludificari permittentibus) pa-

pa

pa, Lesbia regula negotia sua metiens, Cæsarem confirmauit: & quando voluerit vel nefarijs artib⁹ & sedicionib⁹ per se exitatis, illum deposuit, prout historiæ (proh nefas) quod nimis verũ est manifestè ferunt.

Nec papa rerum suarum sategisse ratus, contra hominem tantopere insolescere: sed contra Deũ quoq; & Christũ eius, luciferi proteruia & impudẽtia, ita se extulit, vt distinctione. 40. palam asserere nõ est pudefactus, Neminem sibi contradicere debere, etiam si infinitas animas ad inferos secum in æternũ cruciatum manifestè traheret.

Huiusmodi petulantiarum penè innumerarum, si vel sũmam breuiter perstringerem, vt ex historijs & decretis occasio satis abundè suppetat: libellus iste quem in angustum constringere mihi animus est, in immẽsũ exiret.

Sed desertis historijs & decretis, vt eius petulantiam & blasphemiam contra Christũ, sũmatim per scripturas Paulo altius attingam. Quis tam ferreo vel saxeo est animo, qui non adeò

percellitur vt horrore pertimescat: ad sacrosanctam & æternam Dei legem

Exo,20. (quæ cum ferretur, mõtes fumigabant accensi igni, cum turbine & caligine, adeò vt Moses ipse expauefactus est & tremebundus) aliquid addere vel detrahere: pręsertim cum Dominus ipse per ministrum suum Mosen diserte sic præcipit.

Deu.4. *Ad verbum meum quod Ego præcipio vobis, nihil adijcietis, nihil itẽ ei detrahetis: vt obseruetis præcepta Dñi Dei vestri.*

Rursus, *Quicquid ego vobis præcipio, id obseruabitis vt faciatis, ad hoc nihil addes, ab eo nihil detrahes.*

Quis tam stupidus aut vecors est, vt non aduertat, nõ posse Mosen verbis vllis significantioribus vel magis perspicuis vti, quo Israelitis insinuaret nos, oĩno pręcepta Dei non facere, sed proprias voluntates sequi: si legi aut præceptis Dei, vel adderent vel detraherent.

Quod si præcepto *Dei* per Mosen ministrũ eius delato nefas sit vel adijcere vel adimere: quanto maius scelus est, adijcere vel adimere præceptis &

insti-

institutis Dei per seruatorem nostrum Iesum Christum æternum Dei filium, nobis traditis? de quo ipse Deus pater, voce cœlitus delata testatus est dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, ipsum audite.* Matth. 17

Adeò tamen sunt isti satanæ & tenebrarum ministri Romani Antichristi, frontis perfrictæ: vt ex suo nutu ac renutu, omnes Dei leges & instituta pendere vendicantes: fingunt ac refingunt, commenti sunt & adijciunt sacrosanctæ & tremendæ Dei legi & institutis: ac pro suo fanatico cerebro ab illis detrahunt, quicquid satanas in similitudinẽ Angeli lucis trãsformatus. illis suggesserit, vt in probatione articulorum meorum liquidò ostẽsum est. Et quod adhuc teterrimum est, spurcissimas suas traditiones flamma & ferro hominibus obtrudunt & adorandas prostituunt, vt illos vel nolentes impiè pios efficiant. Et nihilominus, se Ecclesię catholicæ nomine, alijs venditare non pudefiunt, quam tamẽ Ecclesiam hîc in terris militantẽ, vel igne conficiunt, vel diris & anathematibus

in vltimas terras explodunt, & teterrimis conuicijs proſcindunt.

Idcircò (vt quod orſus ſum pertexã) Romanum Antichriſtum & eius ſatellites episcopos & ſacrificos ſacrilegos hoc dilemmate præmam, quo Chriſtus aggreſſus eſt phariſeos pro baptiſmo Ioânnis.

Interrogo, Papæ ſupremitas, qua dicitur vniuerſalis totius Eccleſię Chriſtianæ episcopus, vtrum ex Deo eſt, an ex mero homine? Si reſpondeant ex Deo (quanquàm ſcripturas hac de rè mirificè exagitant, & perperam interpretantur) quęro tamen: Qui fit, vt à Chriſti aſſenſu & ab ipſius Eccleſiæ incunabulis & puriſſimo tempore, in quo floruerunt qui ſenſum Chriſti & Apoſtolorum exactius nouerint, plures q̃; quingenti anni, prius trãſcurrerunt, quàm Romanus pontifex dictus fuerit totius Eccleſiæ Chriſtianæ œcumenicus episcopus? Si autem quod verum eſt reſpondeant, ſupremitatem ſuã ex mero homine eſſe: Tum ego aio, q ex mero homine eſt, nõ eſt ex Deo: ſed quod inter homines excelſum eſt abom inan

minandum Deo eſt.

Reſtat igitur nunc, vt Deũ optimũ maximum iugibus precibus interpellemus, ꝙ propter miſeriam inopum & gemitum pauperum, quando idoneum tempus nactus fuerit, exurgat: & hoſtibus ſuis magiſtrum præficiat, vt diſcant gentes ſe mortales eſſe.

AMEN.

Vincat veritas.

